

[S. HILDEFONSI TOLETANI DE VIRGINITATE PERPETUA SANCTÆ MARIÆ]

[fol. 262 b] ¹ *

INCIPIT LIBER DE VIRGINITATE SANCTE MARIE, ANTE TRIPISTOS, ID EST CONTRA TRES INFIDELES, MORE SINONIMARVM CONSCRIPTVS, EMANVEL NOBISCVM DEVS.. ²

[262v° a]

Domina ³ mea, dominatrix mea. Dominans michi. Mater Domini mei, ancilla filii tui. Genitrix factoris mundi. Te rogo. Te oro. Te queso. Habeam Spiritum Domini tui, habeam Spiritum filii tui, habeam Spiritum Redemptoris mei. Vt de te uera et digna sapiam. De uera et digna loquar.

De te uera et digna quecumque sunt diligam. Tu electa a Deo. Adsumpta a Deo. Advocata Deo. Proxima Deo. Adherens Deo. Conjuncta Deo. Visitata ab angelo. Salutata ab

Le manuscrit a été coupé, sans doute pour prélever au recto une image du Commentaire de saint Jérôme sur Daniel. Le texte manquant est ici restitué d'après l'édition de Valeriano Yarza URQUIOLA, op. cit., p. 153-154 : angelo, benedicta ab angelo, beatificata ab angelo, turbata in sermone, adtonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum enuntiatione, inuenisse te apud Deum gratiam audis, ne timeas juberis, fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditæ gloriæ proveheris. De prole pudicitia admonetur, de nomine prolis virginitas certificatur – nasciturum ex te sanctum – Dei Filius vocitandus edicitur,

et ⁴ que sit nascentis regni potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiet queris ? De origine interrogas ? De ratione praescrutaris ? De experientia requiris ? De ordine sciscitaris ? ⁵

AVDI ⁶ inauditum oraculum. [262v° b]

* **LÉGENDE : Caractères rouges :** • Les petites capitales grasses rendent les titres en capitales rehaussés de couleurs diverses – rouge, mais aussi jaune ou bleu. • Les petites capitales non grasses rendent les titres en capitales rouges. • Les grandes capitales grasses en corps supérieur rendent de grandes initiales rentrantes rehaussées de couleurs diverses. • Les caractères normaux rendent des caractères rouges normaux.

Caractères noirs : • Les petites capitales non grasses rendent les titres en capitales noires. • Les initiales grasses rendent des initiales noires rehaussées de jaune, de bleu ou de rouge.

1. Dans l'édition de Valeriano Yarza URQUIOLA, Ildelfonsi Toletani episcopi De virginitate sanctae Mariae, De cognitione baptismi, De Itinere deserti, Turnhout, Brepols, 2007 (Corpus christianorum, Series latina, 114A), p. 147-152, le texte ci-après est précédé d'une préface que portent certains manuscrits, mais qui manque ici.

2. Dans la marge droite, à l'intérieur d'un cartouche : ordines in more ymonorum conscriptus.

3. Grande initiale rehaussée de couleurs, en partie rentrante sur trois lignes.

4. Au début de la ligne, et est précédé de deux mots amputés et non identifiables.

5. Lettres grattées sur toute la fin de la ligne.

6. Grande initiale rehaussée de couleurs, en partie rentrante sur une lignes.

Considera inusitatum opus. Animaduerte incognitum arcanum. Adtende inuisum factum. *Spiritus Sanctus superuenit in te.*

Altissimi uirtus obumbrabit tibi (Lc 1.35).

Tota inuisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te. Sola persona Filii Dei, in corpore nascitura, carnem adsumet de te. Ideoque quod concipietur in te, quod nascitur ex te, quod prodiet ex te, quod generabitur ex te, quod parietur ex te sanctum, uocabitur Filius Dei.

Erit enim magnus. **Hic Deus**⁷ uirtutum, hic rex omnium seculorum, hic factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres.

Integra inter puerperas, domina inter ancillas, regina inter sorores. Ecce ex hoc beatam te dicent omnes gentes.

Beatam nouerunt cęlestes uirtutes, beatam prædicant omnes uates, beatam omnes cęlebrant nationes, beata tu fidei meę, beata tu animę meę, beata dilectioni meę, beata preconiiis, et prædicationibus meis.

Predicem te, donec prædicanda es.

Diligam te, donec diligenda es, laudem te, donec laudabilis es. Seruiam tibi, donec seruiendum est glorię tuę.

Tu accipies Deum sola, postrema⁸ Filio Deo. Tu generans Deum simul et hominem prima homine Filio, cui in suscipiendo tantum oспes Deus, cui in concipiendo incola homo simul et Deus.

In preterita munda Deo, in præsentia plena homine et Deo, in futuro generans hominem et Deum. Effeta, et uirgi-[fol. 263 a]-nitate læta, et prole, et pudore gauisa, et filio et sponso fidelis. Ita seruans Filio fidem, ne ipse carnis suę nouerit genitorem. Ita seruans sponso fidem, ut ipse te sine uiro nouerit genitricem. Tanto gloriabunda in Filio, quanto uirorum omnium nescia tactu. Instructa quid nosces, edocta quid crederes, certificata quid sperares, roborata quid sine amissione teneres.

CONTRA IOVINIANVM.

Audi⁹ tu, **percipe tu, Juueniane**¹⁰. Corde sopito fatue, precordiis cognosce stultę, sensu disce caduce.

Nolo pudorem nostrę Virginis corruptum partu causeris, nolo integritatem generatione discerpas, nolo uirginitatem exitum nascentis scindas. Nolo uirginem genitricis offitio priues, nolo genitrici uirginalis glorię plenitudinem tollas.

Si horum unum confundis, in toto confusus es. Si hæc concordantiam nescis, concordiam ueritatis ipse priuatus es. Si hæc discordantia causeris, semper discors iusticie inueniris. Si Virginis nostrae aut generationem aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim ualuisse incorrupta seruare quam fateris, absque corruptione adire ad Virginem potuisse. Negas Deum quod uellet facere quiuissis quę contendis geni-[fol. 263 b]-tricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse.

Vt ergo asseris, Omnipotentis diuinitas non profuit uirginitati, sed obfuit. Quia dum uirgineum decus nascendo uiolauit sumam uirginitatis destruxit¹¹. Hac pro

7. s écrit sur deux lettres grattées.

8. o final corr. en a par surcharge.

9. Grande initiale rehaussée de couleurs rentrante sur deux lignes.

10. Lettres épaisses écrites avec une encre plus noire.

hoc ipsum adstruis Virginem deturpasse nascendo, quem decorauerat ipse creando. Ebetescat oro, ebetescat cor talia meditans, obmutescat os, talia proloquens, ereat lingua, talia promens.

Non adspiret sermo, sermo¹² talia narrans. Ecce enim uirgo ex Deo, uirgo ex homine, uirgo adtestante angelo, uirgo iudice sponso, uirgo ante sponsum, uirgo cum sponso. Indubitata uirgo, aetiam dubitante sponso. Virgo ante Filii aduentum, Virgo per Filii generationem, Virgo cum Filii natiuitatem, Virgo post Filium natum. Verbo¹³ fecunda, uerbo¹³ repleta, uerbo uberrima, uerbo partui digna. Humana quidem natiuitate, humana lege, humano usu, humana conditione, humana ueritate. Inlesa, incorrupta, inuiolata, intemerata, integerrima uere. Diuino autem munere, diuino fauore, diuina conlatione, diuina adinuentione, diuino dono, diuino concessu. Nouo opere, noua effi-[fol. 263v° a]-catia. Noua operatione, nouo effectum, nouo patrato. Cum conceptu¹⁴ uirgo, post conceptum uirgo, in conceptum uirgo, post conceptum uirgo. Per partum uirgo. In partum uirgo, cum partu¹⁵ uirgo, post partum uirgo. Virgo cum nascituro, uirgo cum nascente, uirgo post natum. Coniux dicta et uirgo, coniux adsumpta et uirgo. Coniux creata et uirgo. Cum coniuge simul et prole perennis uirgo. Ignota semper coniuge, ignota tactu, ignota complexu, ignota maritali collegio.

Et tunc certe, tunc dubie, tunc uere, tunc ueraciter. Sancta uirgo, beata uirgo, gloriosa uirgo, honesta uirgo. Sed post generationem incarnati Verbi, post natiuitatem Dei, hominis facti, post generationem in Deo hominis adsumpti, post natiuitatem in Deo, hominis uniti.

Sanctior et sanctissima uirgo. Beatior et beatissima Virgo, gloriosior et gloriosissima Virgo. Nobilior et nobilissima Virgo, honestior et honestissima Virgo, angustior et augustissima Virgo.

Sed ne solus tuę uesanię uepribus hereas, ne solus spinis tuę dementiae sepiaris, ne solus tuę uecordię sensibus coarteris, ne solus tuę intelligentiæ acu-[fol. 263v° b]-leis infigaris, ne solus defensionis tuę acumine perimaris. Conecta parem, coniunctam parilem, sociam similem. Innodem quoequalem, copulam talem.

CONTRA ELUIDIVM.

Audi¹⁶ ergo et tu Eluidi, ad me adtende inpuderate, me ausculta inpudice. Me intueri inoneste, me conspice inuerecunde.

Quid inpudicitie conuoueris? quid inuerecundus adsistis? Quid inonestus accedis? Quid sine reuerentia occurris? quid sine pudore uexaris?

Quare Virginis nostrę principia corruptionis fine quoartas? Quam ob rem initia pudoris exitu aucte¹⁷ procreationis infamas? Cur integritatem diuinitatem sacram humana conuectacione deturpas? Nolo ius maiestatis inrumpas, ne possessionem Dei conuexare ausu pertemptes, ne mansionem diuinitatis noceas, praesumptione contemtionis, ne domum Domini iniuriis corruptionis confodias,

11. detraxit écrit dans le texte, corr. destruxit dans la marge sans doute de la même main, mais d'une plume plus fine.

12. Un premier talia gratté.

13. uirgo corr. en uerbo par surcharge sur le i et ajout de b en interligne sans suppression du g.

14. Tilde gratté au-dessus de u final.

15. m final gratté.

16. Grande initiale rehaussée de couleurs rentrante sur deux lignes.

17. Trois lettres grattées en fin de ligne.

ne portam domus Dei eius exitu clausa, a quocumque posse adire contendas. Id uirtutum Deus est, Dominus possessionis huius. Cęlorum rex est, possessor iuris istius. Omnipotens ipsius¹⁸ est, artifex ędificii huius. Solus egressor et custos est, portę egressionis huius. Nemo cum illo ingressus est, nemo regressus. In adeundo eam, nemo socius. In egrediendo, nemo sodalis. Qualiter ingredierit, nemo [fol. 264 a] nouit, qualiter egredierit, egressio sola cognoscit, absque ueste Deus, ut ita dicam ingreditur. Qui ut certe dicam, carne uestitus egreditur, ad domus sui operis uenit, carnis tantummodo uestem tulit, idem qui ut erat rediit. Sed aliter quam inceserat ipse procedit. Hanc domum ingrediens non pudoris spolia tulit, sed egrediens integritate ditauit. A Domino quidem erat mundata, sed aduentum Domini, nondum plena. Nuntiante angelo, fundatoris sui cognouit aduentum, et noue congressionis admiratur accessum, habitorem inesse sibi cognoscit, et qualiter in abditis agat, plene non penetrat. Verumtamen anime uirtutes parat in officia seruitutis. Defert Domino, debitae iura conditionis. Quod ille cęlo praesidens iusserat, hęc in se recepto ministrat.

Adprobasse Conditori suo mundam carnem, simulque et animam praeparasse. Quę et spiritualia obsequia carnalia filio detulit, et Deum sue carnis incorrupta, et incommutabili ueritate uestiuit. Definito tempore hunc qui uenerat ęgredi sentit, et placido egressionis leta processu, aliter procedentem inspicit, quam accedentem sciuit. Sue carnis ueritatem hunc uidet esse uestitum, et in se sui nitoris, ac pudoris integritatem minuisse, non sentit potius, sed creuisse. In hac [fol. 264 b] regione, solitudo Deo tantum et domui. In hac mansione, singularitas ospitio¹⁹ tantum et ospiti²⁰, hic locus, cum uno tantum aduectante coheret.

Hic uterus, unius tantum agnitione congaudet, nec alterius uiri.

Quam nascentis unius membra cognoscit. Cum ergo hęc Spiritus Dei, per prophetas pędixerit, per doctores firmauerit, per ueritatis auctores defenderit, per saeculorum aeternitates consolidauerit.

Quid tu noui erroris adstructor, quid famatissimus infamator ?

Quid copiose iugis infamis ? quid infamiam asseri proloqui audes ?

Musitare contendis ? Susurrare adponis ? Carrire pęsumis ?

Vt uirginalis uteri illa habitatio Dei, ut Regis uirtutum illa nitore pudoris aula clarissima, ut mansio illa pudoris cęlestium carnis pudice ? Vt locus gloriosus illius Dei, quem non capit diuersitas uniuersa locorum. Post generationem Dei, post incarnationem Verbi, post natiuitatem Domini, post ortum Saluatoris. De carne uiro periture carnis soboles germinaret, de loco uitali ex mortalitatis semine moritura membra produceret. De conclusionis orto, qui solum uirginitatis, insolitate²¹ florem produxit, spinarum maritalium, uepres afferet²². De fonte [fol. 264v^o a] nascentis, uirginali egressione signato, cenum maritalia decurreret. Obto, Obto, sepulchri oris illius dentium sera concludat. Foueam oris eius immobilitas lingue perconpleat, concaua palati²³ aer subductus euacuet. Extrema labiorum, aeris crassedo conglutinet, ne talium uerborum fętor erumpat,

18. ipsius écrit dans la marge sans doute de la même main, mais d'une plume plus fine.

19. Lire hospitio.

20. Lire hospiti.

21. Tilde gratté au-dessus du e final.

22. Le e de ret ajouté en interligne.

23. Deux lettres grattées après palati.

ne persecutionis huius odoris adspiret, ne anelitus loquele susurret, ne uel exilis sonus tinniat, ne uerberatus aer, uel infantissima uerba conformet. Ecce enim, insolito modo, insolito usu, insolito ordine, insolito iure, in una persona, in uno corpore, in una conditione, in una aetate. **Alternat honor, matris et uirginis. Alternat pudor uirginis et matris, alternat in generandi uirginitas, alternat in uirgine generandi facultas. Et neutrum cedit illi, et neutrum in altero deriuatur, et neutrum inpedit ab inuicem, et ambo properant sibi ; utrumque que seruatur in proprio, utrumque transit in altero. Quia ambo unum, quia duo idem, quia diuersa idipsum, quia indistincto accidens, quia indiscretum currens, quia indifferens superuentum. Non matrem uirginitatis deserit decus, non uirginem maternus uterus inpedit partus, et uirginem nobilitat fetus et matrem, habet pudor virgineus.** [fol. 264v° b]

Sicque matris et uirginis nomina, per nullis dissociata sunt casibus, nullis inpedita difficultatibus, nullis lesa prouentibus, nullis dubia rebus. **Indiscreta utraque, inseparabilia utraque, indescabile totum, in[di]uisibile²⁴ totum. Accessit aliquando, ut esset mater, que uirgo erat, aduenit ut generaret, qui nusquam corruptam usu generis manet. Adfuit ut parturiret, lege parturitionis ignota. Occurrit ut existeret, in filio integraque coniuge non existerat diminuta. Sed illud est inextimabile, illud inconprehensibile, illud inenarrabile, illud admirabile, illud inauditum, illud inuisum, illud ingnotum, illud inusitatum. Vt uirginitas conceptum clarescat, ut partum uirginitas comitetur, ut generatio adsignet uirginem, ut uirginitas proueat matrem. Matrem quoque ut uirginitas glorificet. Uirginem, ut grauitas matris honoret. Vt decus maternum, uirginitas adsequatur, ut decus uirgineum, matris fecunditatem seruetur. Ita maternum uirgo accipit ueritatem. Ita uirginis gloria, transit in genitricem, ita nomen genitricis, accidit in uirginem, ita pudor uirginis, manet in matrem. Sic ergo accidit, sic euenit, sic adfuit, sic occurrit. Vt si matrem queram, uirgo est.**

Si uirginem queram, mater est. Si prolem queram, uirginis est. Si pudorem queram, matris omnino est. O uirtutum omnium Deus, o creaturarum omnium Deus. O factor omnium Deus, o mirabilium auctor omnium Deus, [fol. 265 a]

Qui cunctis mirabilibus tuis. Vniuersis insignibus tuis, omnibus magnalibus tuis, totis mirabilibus tuis. Hoc factum, hoc opus, hoc gestum, hoc actuum. Miserationis thesauros aperiens.

Pietatis archana demonstrans, indulgentię diuitias reserans, clementiæ riuos emittens. In salutem meam et mundi, in redemptionem meam et mundi, in iustificationem meam et mundi, in liberationem meam et mundi. Fecisti sine loquendi ratiocinatione mirabile. Egisti sine exemplo singulare. Formasti sine comparatione similitudine potentiale. Conplesti sine consimili equiperatione uitulę. Finxisti sine intellegendi consideratione inextimabile.

Sine obliuione, perhenne, sine defectu stabile, sine interruptione iuge, sine fine laudabile. Per quod hii error, amotus est. Per quod langor ablatu est, per quod peccatum deletu est, per quod mors uere destructa est, per quod salus conlata est, per quod uita concessa, per quod celum patefactum, per quod regnum celorum promissum est, per quod inuenimus eundi uiam, per quod adsequimur perueniendi ueritatem, per quod adipiscimus requiescendi uitam, per quod

24. inuisibile, *ms.*

habuimus perhennem tuę dulcedinis uisionem. Ad²⁵ nunc. Iammodo, iam præſenti, in hoc loco, in hoc situ, in hoc momento, in hoc tempore, et in omnia semper saecula saeculorum.

LIBER II. [Contra Iudeos]²⁶

IA Missus est²⁷. **Q**uid dicis Iudeę, [fol. 265 b] quid proponis, quid adstruis, quid obicis, quid oblectas. Ecce uirgo nostra, ex stirpe tua est. Ex genere tuo est, ex traduce tua est, ex gente tua est, ex populo tuo est, ex plebe tua est, ex natione tua est, ex origine tua est. **Verumptamen**²⁸

Ex fide nostra est, ex credulitate nostra est, ex ascensu nostra est, ex reuerentia nostra est.

Ex honorificentia nostra est, ex laude nostra est, ex glorificatione nostra est, ex dilectione nostra est, ex amore nostra est, ex predicatione nostra est, ex praeconio nostra est, ex defensione nostra est, ex uindicatione nostra est. Prestante Domino nostro Ihesu Christo qui cum...²⁹

Quod³⁰ enim tibi Sanctus Spiritus²⁸ de illa per prophetas prædixit, per oracula intimauit, per figuras innotuit, per precedentia promisit, per subsequencia promisit atque conplevit.

Te negante, te non credente, te respuente, te abnuente, te resultante, te blasphemante. Ego noui, ego credidi, ego sapio, ego uenero, ego honoro, ego clarifico, ego amplecto, ego diligo, ego prædico.

Quia me gratia preueni, fides impleui³¹, misericordia subsequitur, amor prouexit, et rei huius gloria exaltauit. Tu autem quem perfidia auertit, quem prauitas occupauit, quem cęcitas adiit, quem error obtinuit, quem obstinatio indurauit ? **D**icito quare non credis in genere tuo, puerperam uirginem, [fol. 265v^o a] quare non credis sine uiro uirginem concepisse ? **Q**uare non credis proprium uirginem gestare filium, quare non credis uirginem manere post partum ? **A**n illo mendacii genere inlicitus ? **I**llo primeue perfidiae ueneno crapulatus. **I**llo parentalis fallacię argumento confisus, illo infide prosecutionis astu peruersus, illo antiquae perlinatiae munimento firmissimus. **I**n sacris litteris adolescentulam et non uirginem parere posse causaris ? **P**lane mentiris, fallis et falleris. **C**riminaris, falso inpetis, falso proponis, falso contendis, falso arguis, falso defendis. **S**i enim, ut ais, iuuenula et non uirgo parere posset. **Q**uid significaret Dominus, quid miraculi daret, quid in admirabili demonstraret, quid inusitatum ostenderet. **S**i iuuenula pareret, quod consuetudinis erat. **S**i puella pareret, quod ętatis erat ? **S**i quo alescens femina parturiret, quod teneritudinis erat ? **S**i non in matrimonio pareret, quod nature simul et temporis erat ? **C**ujus interdum maxime cura de sponsorum manente lectione sollicita. **C**uius mens de future coniunctionis est, expectatione peranxia, cuius uota sunt de sodalium experimentia³² non incerta.

25. Corr. At.

26. Sous-titre emprunté à l'édition de V. Y. Urquiola.

27. Missus est n'est pas dans l'édition de V. Y. Urquiola, qui commence le chapitre par Quid dicis.

28. Lettres épaisses écrites d'un encre plus noire.

29. De Prestante à cum manque sur Migne ; la suite en fin de ligne a été grattée sur le manuscrit.

30. Initiale rehaussée de couleurs rentrante sur deux lignes.

31. t final gratté et remplacé par un point.

32. m ajouté en interligne d'une encre plus claire.

Sed uere illud esse signum si uirgo pareret et intēgra esset, [fol. 265v° b] illud existeret nouitatem, si uirgo parturiret, et pudore nitesceret.

Illud haberi admiratione condignum si uirgo generaret et incorrupta consisteret.

Illo ostendit miraculum, si humanis conceptione fieret, quod humana natura nesciret. In illo dari signum, si nullo maritata uiro, fieret pariens uirgo. Illo rei stuporem fieri, si feminam et uirginalibus simul et maternis inseruiret offitiis. In illo facti admiratione perunctam, si uno mulier tempore letaretur prēmiiis, simul et pudoris. Vt ergo noueris in signo concepisse hanc feminam non in usum.

In admiratione, non in conuentione fētosa existere, ut nouitatem miraculi, non in uetustate parere conjugali.

In incorruptione uirginea fecundari, non in fēdere nuptiali. Dei mater est propter incarnationem Verbi. Dei genitrix est, sed propter adsumptionem hominis. Dei administratrix est, sed propter quod idem subditus erat parentibus suis. Dei nutrix est, quia qui hunc nutriunt reges et reginē erunt.

Quoniam iste filius ejus, Deus et homo est.

Verbum et caro est, diuinitas et humanitas est. Pax nobis, scandalum uobis est. Sapientia nobis est, stulticia gentibus est (cf. 1Cor 3.19). Inde merito humana referunt ad Deum, et que Dei sunt referuntur ad humana. Inde insolida hominis Dei participio roborantur, [fol. 266 a] et solida Dei infirmari dicuntur. Inde in imis, summa perueniunt, inde in summis, hūma pertinguntur, inde insolita insolitis temperantur, inde insolita sublimantur insolitis. Que ut uera esse non ambigas, audi Sancti Spiritus uerba, audi prophetarum oracula, audi uaticinantium dicta, audi ueritatis prēconia.

ĒSAYAS.

Paruulus inquit natus ; *filius datus* ³³ *est nobis* (Is 9.6). Paruulus idem est Christus, quia homo non sibi, sed nobis est natus. Filius datus est nobis, quia utique ³⁴ Filius Dei se dedit incarnari pro nobis. Et ecce homo est in eo quod paruulus natus est nobis.

Deus autem est ipse qui Filius Dei datus est nobis. Item David : *Minues eum paulo minus a Deo* Ps 8.6). His qui minoratus dicitur a Deo. Deus certe, ēqualis est Deo, qui meo quod dicitur minoratus homo est. Vere, humilis natus est.

Item in Psalmis : Ita Pater de Deo, quia Deus est. *Ex utero* inquit *ante Luciferum genui te* (Ps 109.3). Quia homo est, quasi de uulua egredietur tibi ros adolescentiē tuae. **Item ibi.**

Homo factus est in Sion, et ipse fundauit eam Excelsus (Ps 86.5). In hoc quod factus est humillimus, homo est natus.

In eo quod fundauit eam excelsus est Dominus.

Multa quidem, et alia copiosa uere.

Sufficientia prorsus habundantia certe.

Exuberantia plene poteris inuenire.

De duabus naturis in Christi huius unione [fol. 266 b] conexis. Si tantum in illo credas, si illi fidelis existas, si ei fidem ueram exhibeas, si illum in ueritate confitearis, si illi ueram confessionem inpendas.

Quē tamen ego ipse ex toto non prētermittens, coniciens innectam aliquam post paulisper. Cuius ergo tante gloriæ et dignitatis est Filius, ut sit in adsumpto

33. *Corr.* natus.

34. Deus *gratté* après utique.

homine Deus. Audi quante glorię et nobilitatis est genitrix ejus. **Haec** in Eŝaya : Virga est ex radice Gesse, id est de genere eius exorta uirgo, quę florem hunc Christum spirituali tantum infusione, sine hominis corruptionis accessione produxit. Item in Eŝaya : **Hęc** sola terra fidei aperta, non corruptionem germinare potuit Salvatorem.

Rorantibus cęlis et nubibus pluentibus Justum, id est, prophetis pronuntiantibus eius aduentum. **Haec** in Ezechielo : Domus Dei est cuius pudoris integerrima claustra ad Oriente consistens, porta semper est clausa.

Quę neque ante natum, neque post natum hunc Filium alterius accessum, uel transitum non nouit, quia solus ipse Dominus, per eam nascendo transiuit. **Unde** est semper est clausa, quia semper est uirgo. **Hęc** in Psalmis : *talamus* Dei est, quia de utero ejus incarnatus iste Deus processit, *uelut sponsus* (Ps 18.6) in ea relicto perhennis uirginitatis decore mansuro. Item in Psalmis : **Hęc terra** est, [fol. 266v^o a] de qua *ueritas oritur*, quę ueritas Christus eadem est, et que de caelo prospexit *iusticia* (Ps 84.12) Deus. Item in Psalmis : **Hęc terra fructum suum dedit** (Ps 66.7), id est Christum nostrum genuit in quo benedixit nobis idem Deus Deus noster. **Vt** benedicat nobis Deus et simus benedicti a Deo, ter uocabulo repetito, qua Trinitatem unum Deum *omnis terrę* metuant *fines* (Ps 66.8).

Sit rogo iam sit rogo Iudeę gratissimum tibi, tante Virginis decus in tua cognatione repertum, sit amabile tantę glorię Virginem in tuo genere inuenisse. **Sit** lętum in tua traducet³⁵ ante pudicitiae uisum insignem, sit iocundum in stirpe tantundem tua patefactum tale miraculum. Ecce impleta est omnis terra per hanc Virginem gloriam Dei.

Cognouerunt omnes a paruo usque ad magnum per hanc Virginem Deum uiuum, uiderunt omnes per hanc Virginem salutare Dei. **Rememorati** sunt et conuersi in hanc Virginem ad Dominum uniuersi fines terrae. **Adorant** in conspectu Filii eius, omnes patrię *gentium* (Ps 21.28). **Ipsius** est Filii regnum, ipse Deus dominabitur gentium, *cantant* omnes ipsi Domino Filio ejus, redemptionis suę *canticum nouum*, quia nascendo de hanc Virginem magnalia fecit. **Notum** fecit Dominus per hanc Virginem salutare suum, et ante conspectum nostrum *reuelauit iustitiam suam* (Ps 97.1-2). **Inuenerunt** per hanc Vir-[fol. 266v^o b]-ginem Deum qui tecum per obseruantiam legis inuenire non potuerunt. **Venit** per hanc Virginem Deus, et congregatis gentibus et linguis, uenimus et uidimus gloriam eius quasi gloriam Unigeniti a Patre. **Congregate** sunt omnes gentes in nomine huius Domini in Iherusalem qui est Visio pacis, id est Eęclesia uniuersalis. **Et non** ambulabunt ultra post prauitatem cordis sui. **Iurauit** Dominus in ueritate et iudicio, et ecce tali matre progenitum, omnes gentes benedicunt ipsumque conlaudant. **Ecce** iste est Deus, fortitudo nostra est. **Ad** hunc omnes gentes uenimus ab extremis terrae, et cum Iheremia dicimus.

Vere mendacium possederunt patres nostri (Jr 16.19).

Ecce in die nouissimo hic mons filius Virginis huius preparatus est in uertice montium, id est eleuatus est super Apostolos nostros, et super omnium uirtutum cęlestium majestatis. **Confluimus** ad eum populi, et properabimus gentes multae. **Ascendimus** ad hunc Dominum montem Domini et ad domum Dei Iacob, qui est Eęclesia Dei uiui. **Docet** nos de uiis suis, ibimus in semitis eius, quia lex gratiæ de Sion egressa est, et Verbum Domini de Iherusalem.

35. *Lettres grattées entre ce et t.*

In quo iussum est sanctis Apostolis nos omnes in eius nomine bapuzari, et Sancto Spiritu adimplere. De te autem, propter cordis tui pessimi obstinationem, propter inpuram uoluntatem, propter infidam³⁶ mentem, propter conscientiam malam, propter incredulitatem iugem, propter superbiam ueram, propter obediētiā fallacem. [fol. 267 a] Propter promissa infidelia, propter fidem inconstabilem. Audi Dominum in Deuteronomio proclamantem : *Eritis gentes ad caput. Incredulus autem populus ad caudam* (Dt 28.44), cui incredulus nisi isti³⁷ Deo? In humilitate hominis ex hac Virgine nascituro. Item Iheremias : *Preuaricatione preuaricata est in me domus Iuda dicit Dominus. Negauerunt me et dixerunt : non est ipse* (Jr 5.11-12), quod nunc usque Iudeę propter hunc Christum Dominum nostrum huius Virginis filium, dicis non est ipse, expectas alium cum quo pereas Antichristum. Item Esaias. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem michi³⁸ (Is 65.2).

Cui, nisi isti Domino? Qui quoniam de hac Virgine natus est, credere nolunt hunc esse Deum. Item ipse : *Quomodo dicitis sapientes sumus, et lex Dei nobiscum est? Vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes et perterriti capti sunt.*

Verbum enim progesserunt, et sapientia nulla est in eis (Jr 8.8-9). Quo uerbum hoc utique de hac Virgine carne factum, et quam sapientiam hanc scilicet Dei Patris que gentibus stulticia est. Item Esayas :

*Audite me dure corde, et qui longe estis a iustitia*³⁹. *Prope feci iusticiam*⁴⁰ *meam*³⁹, *non elongabitur, et salus mea non minorabitur* (Is 46.12-13). Que iusticia⁴¹ et que salus, nisi hic utique a quo iustificati⁴² et saluati credentes sumus. [fol. 267 b]

[I]tem⁴³ Esayas. *Educ foras populum cecum et oculos habentem. Surdum et aures sunt eis* (Is 43.8). Qui non uidentem et qui non audientem, nisi hunc Dei Filium ex homine incarnatum, et cuncta que de eo multifarię sunt predicta. Item in Osee : *Ue, inquit*⁴⁴ *eis, quoniam recesserunt a me. Vastabuntur quia preuaricati sunt in me! Ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacium!* (Os 7.13).

Quod si ad emendandum uenerit, fastidium nutrit. A quo recesserunt utique a me, quem humilem uidentes hominem esse contemnunt Deum, et⁴⁵ quod mendacium locuti sunt, quod et Iheremia dicente : *non est ipse.*

Et quare non est ipse? *Quia uidisti eum, et non erat aspectus. Desiderasti despectum et nouissimum uirorum, [uirum] dolorum, et scientem ferre infirmitatem, et quasi absconditus uultus eius et despectus, unde nec reputastis eum* (Is 53.2-3). Quibus uerbis incredulitas tua significatur quibus uisus est Christus non habere speciem neque decorem. Vnde nec reputatus est esse Deus. Dixi celer, dixi currens, dixi transiliens, dixi pernix, dixi uelox, dixi citatus.

36. infidem corr. en infidam par surcharge.

37. isto corrige en isti par surcharge d'un grand I.

38. michi exponctué par erreur.

39. m final gratté par erreur.

40. Tilde gratté par erreur au-dessus du a final.

41. Lettres grattées devant et.

42. i final écrit sur une lettre grattée.

43. L'initiale en début de ligne n'a pas été écrite.

44. Le second i suscrit.

45. et répété sur deux lignes.

Quę cito repperii, quę de uicino adtingi, quę de confinio intuli, quę de proximo inueni. Nam si peritia pollens, si prudentia uigil, si acumine, uiuax, si inquisitione strenuus, si sollicitudine minus, iners [fol. 267v° a] uellem et possem. Dies michi deficiet, momenta decrescent, ora lassabunt, mane ruet, meridie languescit, uespere decidet. Intempesta, et gallicinia, crepusculumque noctium habundantie non queres, de talibus sacramentis, aut fidei meae congrua aut perfidie tuę discordanti, et aduersa promere uel narrare. Unde, ueni iam mecum ad hanc Virginem ne sine hanc properes ad gehennam. Veni abscondamus sub uelamento seruirtutis eius, ne induaris confusione sicut diploidem.

Veni confiteamur ego *delicta iuuentutis*, et ignorantie *męę* (Ps 24.7), et tu delicta sacrilegii et sceleris tui ⁴⁶, ne reuelent cęli iniquitates tuas. Veni humiliemur in ueritate confessionis et laudis eius, ne terra consurgat aduersum te asserens tanti saeculis se tuam perfidiam sustentasse. Non erubescas Filium Dei esse Deum tuum, ne erubescat te ipse coram angelis suis. Non erubescas sermones eius, ne ipse te in adnotatione Libri uitae uiuentium erubescat. Confitere illum in regione terrarum, ne ipse te non confiteatur in terra uiuentium. Confitere illum Deum esse et Filium hominis, matris, ut ipse te confiteatur coram Patre suę diuinitatis. Time maiestatem eius inter homines, ne te humanitas eius [fol. 267v° b] in tartara pęcipitet coram angelis.

Dilige illum dum paciens est, ne odio habeat te, dum iudicauerit te.

[A]rbitror⁴⁷ per uirtutem Dei, hostem ut potui confudisse. Reliquisse cesum, abicisse inerbatum, exanimem dimisisse. Unde et pallidus adest, exsanguis super est, defessus agit, fatigatus manet, conlisus iacet, confossus ruit, ęlisus interiit. De uitali flatu, nichil super est, de spe uitae, iam nichil est, de reditu uite, illi exspectatio non est. Vnum tantundem est, quod ne alitus perfidie anelat, quod exile murmur erroris adspiret, quod tenuę tabo de sacrilegii sepulcro, anime naribus exorret. Verum redeam, repente, retro gradiar, retro conuertar, et non eam, donec deficiat. Non uadam, donec intereat. Non pergam, donec adtritum sub pedibus euanescat, ne de cadauere perfidie quidam uermiculus supersit, ne de morticino sacrilegii tinea, quecumque consurgat, ne de tabo profanationis quodcumque genus uermium moriatur, quod in criminum antro, demonum fauoribus pastum, etsi no adsurgat in beluam, euolet inuolucre. Adplaudite atque sibi nostre disputationis retiam ęuasisse qui fundatus se ingemiscit uincere nequiuisse. Gutturque capillo disserte ratiocinationis abducatur, et per aerie potestates leuitate sua gaudebunt, [fol. 268 a] deferendus esse fraude suspendatur, ac scilicet sub pauore uel fuga illi arrideat cui sub spe uictoria non concordat.

¶⁴⁸ Auditum ergo antequam loquelam exanimate ostis adpone.

Auriculam antequam linguam adaperi, ante auris quam oris remoue seram, ut prius audias quam loquaris, primitus sapias, quam respondeas.

Prior corde percipies quam ore depromas.

Sicque de hac ueritate ut cognoscas plenitudinem ueritatis ⁴⁹ adserte.

Considera, intuere, uide, intellege, perpende, animaduerte⁵⁰. Intende, scito, sapito, disce, cognosce hunc eundem esse Deum, ex Deo in ueritate nature suę,

46. i final et point écrits à l'encre noire sur des lettres grattées.

47. L'initiale en début de ligne n'a pas été écrite.

48. Signe écrit dans la marge.

49. tes corr. en tis par surcharge d'un grand I.

qui ex Virgine factus est homo, in ueritate nature mee. Hunc esse perhenniter aeternum, qui dispensatiue factus est temporalis, hunc uenisse, qui est immobilis. Hunc contineri in loco, quem non continet locus. Hunc esse intra locum, qui est omnium locus. Nam ut et expressius dicam, ipso ducante sequar eum. Ipso preeunte, curam post illum, ipso antecedente uadam post eum, ipso uocante ingrediar ad illum. Et in quantum ipse permiserit, ad seuerem tibi, hostendam tibi, enarrem tibi, promam tibi, expediam, conuincam, probem.

Quis est idem ipse qui uenit, et unde uenit, et quando uenit, et [fol. 268 b] ubi uenit, et quare uenit, et quomodo uenit, et quid egit; audi iam nunc. Quid est Christus qui uenit? Quid est idem qui uenit; non aliud quam Deus et omnipotens Dominus.

DICIT MALACHIAS :

Veniet ⁵¹ *ad templum sanctum suum dominator quem uos uultis* (Ml 3.1). Item in Exodo Pater ad Legislatorem : *Ecce mittam* ⁵² *angelum meum qui precedat et custodiat te in uia et introducat in locum quem paraui, obserua eum et audi uocem eius.*

Ne ⁵³ *contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueritis, et est nomen meum in illo* (Ex 23.20-21). Hanc quia angelum audis, non putas esse factorem Deum sed quempiam angelum factum. Absit? magna certe dementia agitaris, si credis Deo cuiquam angelo et potestatem et nomen proprium contulisse, atque contra tuam simul et meam uocem non sit unus Deus qui fecit omnia. Quare angelum dicis illi esse equelem? quod utique quia ita non est, uerum est.

Quis enim in nubibus equabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei (Ps 88.7)? Id est in angelis bonis, in omnibus sanctis. Quos adobtionis amore diuine paternitatis pietas filios uocat.

ITEM UNDE VENIT.

Vere non de aliunde quam de Deo uenit. **Audi ipsum per Salomonem** ⁵⁴ : *Ego ex ore Altissimi processi* (Si 24.5). Item Pater in Psalmis. [fol. 268v° a] *Ex utero ante Luciferum genui te* (Ps 109.3). Hinc et alias ipse per Salomonem. *Ante colles ego parturiebar* (Pr 8.25). Et Zacharias : *Haec dicit Dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes, que spoliauerunt uos. Qui enim tetigerit uos, tanget pupillam oculi eius. Quia ecce leuabo manum meam super eos et erunt predam* ⁵⁵ *his qui seruibant sibi; et scietis quia Dominus exercituum* ⁵⁶ *misit me* (Za 2.8-9). Vide omnipotentem Dominum exercituum ab omnipotente Patre Domino Deo exercituum misso.

Missus est autem ad gentes post gloriam deitatis, quam apud Patrem habuit, cum fieret humilis in forma serui qui erat equelem paternę diuinitatis.

Item Eysayas ⁵⁷ : *Ego sum primus et ego nouissimus. Manus quoque mea fundauit terram, et dextera mea mensa est celos. Non a principio in abscondito locutus sum : ex tempore antequam fieret ibi eram. Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus* (Is 48.12-16). Ecce qui primus et nouissimus et factor omnium est. Mittitur a Domino Patre cui et quoeternus et coequelem habetur.

50. anim séparé de aduerte.

51. Grande capitale rehaussée de couleurs rentrante sur trois lignes.

52. Corr. mitto.

53. Corr. Nec.

54. Lettres épaisses écrites à l'encre noire.

55. Corr. preda.

56. Un premier misit biffé d'un trait noir.

57. Lettres épaisses écrites à l'encre plus sombre.

Item quando Christus uenit⁵⁷. Quando uenit, dicat Iacob in benedictionibus patriarcharum : *Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec ueniat qui mittendus est ; et ipse erit expectatio gentium* (Gn 49.10). Tunc ergo uenit, quando per ambitionem succedentem in regno Herode alieni-[fol. 268v° b]-gena. Defecit in Israel princeps de Iuda.

In quo defectu aduenit ille qui mittendus erat⁵⁸ in quem gentes et populi expectabant. Item in Danielo ad se loquente angelo : *Daniel, animaduerte sermonem et intellege uisionem. Septuaginta ebdomades adbreuiate sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consumetur preuaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iusticia sempiterna, et impleatur uisio et prophetes, et unguatur Sanctus sanctorum* (Dn 9.23-24).

Quod tempus olim esse completum, predictarum rerum, et euentus et exitus edocet. **UBI CHRITUS VENIT.**

Item ubi uenit dicat Micheas : *Et tu, Bethleem domus Eufrata, numquid paruulus es in milibus Iuda. Ex te michi egredietur qui sit dominator [in] Israel* (Mi 5.2). Et hoc secundum carnem, nam secundum diuinitatem illud est quod conectit, et egressus eius a diebus aeternitatis (Mi 5.1). Item Dauid.

Ambulabunt de uirtute in uirtutem et uidebitur Deus deorum in Sion (Ps 83.8).

Item Yereias in libro Baruc :

Hic est Deus noster, et non extimabitur alter apud eum. Qui inuenit omnem uiam prudentię, et ostendit eam Iacob puero suo, et Israel dilecto suo.

Post hæc in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est (Ba 3.36-38). **QVARE UENIT**

CHRISTUS. Item quare uenit, ipse [fol. 269 a] per Eſaiam dicit : *Spiritus Domini super me propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, predicare captiuis redemptionem et cecis uisum* (Lc 4.18-19). **Item ipse**⁵⁹ : *Ecce Deus noster ipse ueniet et saluos nos faciet* (Is 35.4). **Item Abbacuc**⁵⁹ :

Existi in salutem plebis tue, ut saluos facias electos tuos (Ha 3.13). **QVANDO CHRISTUS UENIT.** Item quomodo uenit, abiectus utique et egenus. Dicat Zaccharias : *Dicite filię Sion : Ecce rex tuus uenit tibi, iustus et saluans pauperes*⁶⁰, *sedens super asinum indomitum* (Za 9.9).

Item apud Esayam ex persona Dei Patris : *Ecce intellet puer meus, et exaltabitur et eleuabitur, et sublimis erit ualde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic ingloriosus erit inter uiros aspectus eius et forma eius inter filios hominum. Iste adsperget gentes multas, super eum continuerunt reges os suum, quia quibus non est nuntiatum de eo uidebunt, et qui non audierunt contemplati sunt. Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui reuelatum est ; et ascendet sicut uirgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiēti. Non est speties ei neque decus ; et uidimus eum et non erat aspectus. Et desiderauimus eum despectum, et nouissimum uirorum, uirum dolorum et scientem fere infirmitatem ; et quasi absconditus uultus eius et dispectus, unde nec reputauimus eum. Vere langores [fol. 269 b] nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem humiliatus est propter iniquitates nostras*⁶¹. *Disciplina pacis nostre super eum et liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errabamus, unusquisque in uiam suam declinauit, et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum. Oblatus est quia ipse uoluit et non aperuit*

58. est corr. en erat par grattage de st et ajout.

59. Lettres épaisses écrites à l'encre plus sombre.

60. Corr. pauper et.

61. Restituer adtritit est propter scelera nostra.

os suum. Sicut ovis ad occisionem ductus est⁶², et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperuit os suum. De angustia et de iudicio sublatus est, generationem autem eius quis enarrabit ? Quia abscisus est de terra uiuentium. Propter scelus populi sui percussit eum et dabit impios pro sepultura, et diuites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecit⁶³, neque dolus fuerit in ore eius. Et Dominus uoluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam⁶⁴, et uoluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius uidebit, et saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, et iniquitates eorum ipse portauit.

Ideo dispertiar⁶⁵ ei plurimos et fortium diuidet spolia. Pro eo quod tradidit in morte animam suam, et cum sceleratis deputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus [fol. 269v° a] orauit (Is 52.13 - 53.12). Item apud eundem : Non clamabit, neque audiuit⁶⁶ quis in plateis uocem eius. Calamum quassatum non conteret⁶⁷ sed in ueritate profert iudicium, quoadusque ponat in terra iudicium, et in nomine eius gentes sperabunt (Is 42.2-4). Et in Psalmis de ipso canit : Ego autem sum uermis et non homo, obprobrium hominum et abiectio plebis (Ps 21.7).

Adaperi Ihesus meus, adaperi os meum et replet illud confessione misericordie tuae. Tange os⁶⁸ et auriculam cordis mei dicens : Adaperire ut audiam quid loquar per Spiritum sanctum tuum. Reple os meum laude tua, ut possim enarrare magnificentias tuas, atque confitear tibi misericordias tuas, et mirabilias tuas filiis hominum, quem in Trinitate unus Deus uiuis et gloriaris in saecula saeculorum.

L. II. Audi portam⁶⁹ Quid egit Christus⁷⁰. Quid egisti Domine ? Quantum ad omnipotentie unite Trinitatis⁷¹ pertinet, omnia per te facta sunt et sine te factum est nichil. Quantum autem ad id adtinet quod specialiter in tua persona incarnari, et omnibus apparere saluator omnium aduenisti, et ipse factus es sub lege, natus ex muliere, uerum et quia operum tuorum gressus habueris, atque quosdam saltus ut mirabilium diuersitatibus dederis, Salmista dicat : *Visi sunt ingressus tui Deus, ingressus Dei mei* (Ps 67.25). Illi utique [fol. 269v° b] quibus in mundo per Virginem uenisti, quibus ad Patrem per resurrectionis gloriam redis. Vnde et uenisse te tam multa uaticinantium dicta confirmant, quam operum tuorum exempla demonstrant.

Cum igitur in mundo uenisti, aduersans tibi Iudea, date sibi legis adsertionibus cognoscat quid agis. Primo itaque Iudeae, quam inuisibiliter hic Dei Filius et omnipotens Deus ad Virginem uenit ; quid ait, nisi ut iuxta Eysayas dicit, de egressa uirga, id est de matre Virgine, de radice generis Gesse ascendit hic ros⁷², ut nascatur utique Filius ; nulla corruptione concretus, sed sola Sancti Spiritus infusione generatus. Item iuxta eundem agit, ut non in usu iuuenula sicut tu

62. Corr. ducitur.

63. Corr. fecerit.

64. Restituer uidebit semen longevum.

65. dispertiam corr. par erreur en dispertiar par grattage du tilde et ajout de r en interligne.

66. Corr. audiet.

67. Restituer et linum fumigans non extinguet.

68. e gratté devant os relié à tange.

69. Écrit dans la marge sur trois lignes.

70. Lettres épaisses écrites à l'encre plus sombre.

71. es final corr. en is par surcharge de grand I.

72. Corr. flos, cf. Is 2.1.

mentiris, sed sicut ego uerum dico, in signo concipiat, et pariat Virgo. Item iuxta eundem agit, ut sine corruptionis accessu solo Spiritus Sancti calore, et uirtutis Altissimi obumbratione; *aperiatur terra corporis uirginalis, et hunc germinet Saluatorem* (cf. Is. 45.8). Item iuxta Daniele ait, ut *abscidatur*, id est ut abstraatur; hic lapis generis Iudeorum sine *manibus* (Dn 2.45) præcedentis, id est sine operatione corruptionis. Et ueniens in terra amplitudinis totius mundi impleat, potentia sua orbem terrarum, et a mare usque ad mare firmet dominium suum.

Iuxta ⁷³ **Psalmistam uero ait** ⁷⁴ :

Ut *egrediat*ur sponsus de *talamo* (cf. Ps 18.6) uteri [fol. 270 a] uirginalis adsumpturus illam sponsam ex omnibus nationibus Ecclesiam uniuersam. Cui alio loco dicitur : *Audi, filia, uocem Dei, et uide misericordiam praeuenientis te Dei, et inclina aurem obedientiæ tuæ et obliuiscere populi tui profanationes et operum prauitates. Et ne recorderis patris tui diaboli uidelicet, siue mundi inlecebras, et temporalium rerum turpes amores* (Ps 44.11).

Item iuxta Psalmistam ait ⁷⁴ : Vt de terra materni corporis oriatur nascentis ueritas carnis, et respiciat de cælo iusticia deitatis. Sicque in unitate personæ Deo et homine consistente. Hęc *terra* Virginis nostrę hunc det filii fructum dante nobis Domino *benignitatem* (cf. Ps 84.12-13) nostre redemptionis. **Item iuxta Ezechielem agit** ⁷⁴ : Vt de hac materni uteri domo, per pudoris uirgineę portam.

Idem Dominus Deus Israel egredietur, ac dum nec ante natiuitatem, neque post natiuitatem eius, illum umquam integritas corruptionis nouit accessum, eadem *porta* sit (cf. Ez 44.1-3), quia semper est uirginitatis sera conclusa. Horum itaque omnium uaticiniorum ad hoc summa porrecta est, ut de Spiritu Sancto et Maria semper uirgine fieret hoc Verbum caro, fieret Deus homo. Fieret humanum, quod erat diuinum. Non diminutione deitatis, non interitu eternitatis, non commutatione incommutabilis ue-[fol. 270v° b]-ritatis, sed adsumptione carnis, sed participio hominis, sed societate humanitatis. Sicque in unione personę, idem sit Verbum, qui caro, idem sit homo, qui Deus. Idem sit qui et diuinitas et qui humanitas est.

Ac per hoc iuxta Iheremiam, ipse unus Christus sit *Deus* qui inuenit omnem uiam prudentię, qui et cum hominibus *conuersatus est* (cf. Ba 3.36-38) homo.

Iuxta Psalmista[m] ⁷⁴ : Ipse sit homo *in Sion* natus qui fundauit eam, *Deus excelsus* (cf. Ps 86.5). **Iuxta Esayam quę dicit** ⁷⁴ :

Quiescite ab homine cuius Spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est (Is 2.22). Ipse sit homo in cuius humanitatis adspirationibus diuinitatis eius Spiritus est, qui sit et Deus qui est reputatus excelsus. Iuxta David : ipse sit Dominus Deus, ad quem *loquitur* Dominus Deus. Ipse sit homo, qui sedet ad dexteram *Dei* (cf. Ps 109.1) . **Iuxta Esayam** ⁷⁴ :

Ipse sit homo, qui *paruulus* natus est *nobis* (cf. Is 9.6), qui sit et Deus. Qui filius Dei datus est nobis. **Iuxta Psalmistam** ⁷⁴ : ipse sit Deus, cui dicitur : *Sedes tua Deus in saeculum saeculi* (Ps 44.7). Qui sit et ⁷⁵ homo, qui per exultationis oleum Sancto Spiritu dicitur unctus. **Iuxta uocem Domini per Iheremiam** ⁷⁴ : Ipse sit homo, cui dicitur :

73. ta ajoutée en interligne.

74. Lettres épaisses écrites à l'encre noire.

75. et écrit en interligne.

Ecce dies ueniunt dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iusticiam super terram(Jr 23.5-6).

Qui sit et Deus, dum subicitur : [fol. 270v° a]

In diebus eius saluabitur Iudea, et Iherusalem ⁷⁶ *habitabit confidenter. Et hoc nomen quod uocabunt eum ; iustus Dominus, Deus noster* (Jr 23.5-6).

Iuxta Micheam ⁷⁴ : **Ipse sit homo de quo dicitur :** *Stabit et uidebit et pascet gregem suum. Qui sit et Deus cum subiungitur. In uirtute Domini, et in uirtute Dei nominis sui erunt. Quoniam nunc magnificatur usque ad terminos terrae, et erit iste pax* (Mi 5.3-4).

Audisti quid egerit adueniens Deus in utero Virginis. Audisti quia cum sit Deus homo factus, audisti quia cum aliud sit Deus, et aliud homo, non tamen est alter Deus, et alter homo ; sed unus est Dominus meus Ihesus Christus, idem Deus et homo. Audi iam nunc que miraculorum opera egerit, que mirabilium acta gesserit, que magnalium gesta fecerit, ad quas uirtutum operationes patrauerit, quas operationum effectus dederit. Certe haec que auditurus es. In gente tua, in genere tuo, in populo tuo, in plebe tua. Facta cognosce, quoniam et ipse qui ea fecit, secundum quod homo est. Ex traduce tua, ex stirpe generis tui, ex propagine generis tui. ⁷⁷ In ueritate carnis nature meę se uoluit nasci. Sed uellem plane contra sacrilegium et perfidiam tuam, ueritatis huius negotio partis meę assertoribus intimare, et ueridicum ius ueritatis me coram Domino et an-[fol. 270v° b]-gelis eius. In foro orbis terrarum expectantibus cunctarum nationibus gentium, meorum testium fide proponere. Sed uideo te fallaci conatu, peruerso astu, infido obiectu libenti congressu, deprauato animo, impuro sensu, inprouatonico eloquio, quod est ex omni parte confuso, uelle te respondere.

Instrumenti noui auctoris nolle recipere, sed auctoritatis uetuste assertionibus dimicare. **Respondeam et ego :**

Si nobis assertoribus ueritatis minime cedis, saltem ipse per se loquenti ueritati ⁷⁸ **subcumbe. Sed rursus obicis hec que dixisse ueritatem opponis, nouorum sunt predicatorum intimata praeconiis.**

Et ⁷⁹ **ego dicam :** **Vt ergo ays, tempore non auctoritate contendis, electione non iure disceptas. Velle, non ordinem causam narras, dum uetustatem nouitati proponis, dum noua ueteribus inpugnans, dum ueteribus noua euacuare conaris. Certe iste directus iuste disceptationis est ordo, iste actionibus debite processus. Hoc negotii, uerum initium, hic disputationis ordinate** ⁸⁰ **competens modus, ut uetusta promissa, noua opera compleant, ut umbra ueritas excludat, ut incerta et occulta patens, exhibitio manifestet, ut antiquitatis arcana noua fides aperiat, ut ueternorum secreta credulitas adueniens reuelet, ut absconsa misteria, religionis nouitas ostendat, ut temporum primitiua** [fol. 271 a] **temporum plenitudo corroboret. At nunc quid uetera queris, quia transierunt et ecce facta sunt noua. Quid illorum temporum recordaris propter que facta non sunt, quoniam facta sunt propter nos in quos fines saeculorum deuenerunt. Quid tantundem uaticiniis primevis adtendis, cum jam omne uaticinium rei geste sit de exhibitione**

76. Corr. Israel.

77. Le passage de ex propagine à tui avait été répété ; il a été gratté et biffé par un trait.

78. in gratté devant subcumbe.

79. Dans la marge, une main tend l'index vers le début de cette phrase.

80. e corr. en a par surcharge.

completum. Quid de lege et prophetis agis, cum ea que usque ad Iohannem dixerunt in Deo Christo Ihesu nostro esse completa, testantur etiam rerum omnium elementa.

Quin, uerum uideo ideo te nolle recipere nouos, quia spreuisti uetustos.

Ex hoc iura nouitatis inpetere, ex quo antiqua uisus es perfidasse. Ex hoc rennuere gratiam ex quo inpugnaueras Legem.

Ex hoc non dare fidem Eꝯangelio, ex qua dudum contradixeras legali praecepto.

Ex hoc inpugnare Apostolos, ex quo inpugnaueras et prophetas. Ex hoc non adquiescere doctoribus meis, ex quo non adquieuisti rectoribus tuis. Ex hoc profanaueras et ueritatis promissionem, ex hoc reuelata nescire, ex quo ad operata noluisti cognoscere. Ex hoc esset perfidus in temporum plenitudine ex quo fuisti infidus in futurorum promissione. Sed age nunc quonam ordine propositionis perversę, hic modus poterit esse iustus, ut in adsequenda ueritatis cognitione de turba ueridicorum personas eligas quibus credas et micans patulę ueritatis, fulgur intendere non adtendas, quod uel tenere [fol. 271 b] diligitur huius actio commoti certaminis, ut me apertiora indicia proferente, et tu in tua electione constituas, quod in mea contradictione defendas. Postremo que tergiuersatio ista est, ut ego ueritatem proferam quam tu rennuas uidere, et de eius idem coneris inquisitione contendere.

Aut qui nam hic conlatet responsionis est hictus, ut per assertores ueritatem inquiras, et prolatam ueritatem uidere contempnas. Si licet tibi eligere cui credas, ergo eligere liceat et quod credas. Si licet tibi electione tua uindicare quod credis, liceat et electioni tuę inuenire quod credas, hac per hoc ita iuditiorum regulas rumpas, ut de electione feras liuitum, non de iusticia desceptatione iuditium.

Non enim quod debes sed quod placet dicis.

Neque quod inueniat, set quod operiat, ueritatem opponis, dum publice ueritati non credis ; et hanc in abditis queris, dum per semedipsam quid uerum sit de se ueritas clamat, et tu de illa quid uerum se habeat, electionis disputatione requiris ? Veritas per semedipsam dicit : *Ego sum* (Jn 14.6), et tu qui spetiem ostendat ueritatis inquisitorem queris ? Veritas dicit : *Ego sum uia* (Jn 14.6), et tu in ⁸¹ deuiis uiam queris ?

Veritas dicit : *Ego sum uita* (Jn 14.6), et tu uitę precones inquiris ? Veritas dicit : *Qui sitit ueniat* (Jn 7.37), et tu qui sicientem potet adsicis ? Veritas [fol. 271v° a] dicit : *Ego a Deo exiui et ueni in hunc mundum* (Jn 16.27-28), et tu eligis qui sit ille qui uenire possit in mundum ? Veritas dicit : *Ego et Pater unum sumus, et qui me uidet, uidet et Patrem* (Jn 10.30 ; 12.45), et tu asseris hunc nec a Deo esse, nec cui equalem existere posse ? At uero, quia ex defensoribus partis tuę tibimet adplaudes, nolo sis anceps. Pro certo autem disce, quia quos tibi aduocas, mei sunt, quos tibi adsummis, proximiores michi sunt. Quos tibi adsciscis, et noti mei sunt, et notissimi mihi sunt. Que enim tibi in tuis auribus suis uocibus indiderunt, cordi meo uirtutem intelligentię inpraesserunt. Quem te sonitum tetigerunt, me tactu inlustrauerunt. Quem tibi sonuerunt, michi quo eserunt. Sed iam placibilis ego, cedam non uictus ueritate, sed fultus. Cum tu infamis cedas, non fultus ueritate, sed uictus. Adstipulabunt testes tui que assero. Firmabunt que intimo, adseuerabunt que propono. Stabilient que contestor, statuent que intulero. Fides

81. in ajoutę en interligne.

namque mea illorum est ueritas. **Propositio**⁸² mea illorum est adtestatio. **Cognitio** mea illorum est testimonium. **Loqui** in tempore meum, illorum est sapere in æternum. **Preponere** meum firmasse illorum est. **Non tacuisse** meum, dixisse [fol. 271v° b] est eorundem. **Sic** lingua mea flatus illorum est. **Sic** eloquium meum spiritus est eorum. **Sic** uerbum meum, spiritus est eorum, sic uerbum meum, spiraculum est ipsorum.

Quia uerbum Dei qui per illos uenit, in me peruenit, quia sapientia Dei qui per illos uenit, in me peruenit. **Quia** sapientia Dei que illos impleuit, me tetigit, quia Spiritus Dei que illis loqui dedit, michi audire et annuntiare concessit.

Inde cor illorum os meum est, inde os illorum, sermo meus, inde sermo illorum fides mea, inde fides illorum adfirmatio mea, inde quod sapiunt dico.

Inde quod dicunt scio, inde quod sciunt annuntio, inde quod annuntiauerunt enarro. **Quia** uiuit in me qui uiuebat in illis, quia est in me qui erat in illis, quia non tacet in me, qui loquebatur in illis. **Quia** manet in me usque in æternum, qui non desiit in illis usque adhuc.

Quare⁸³ ergo non credis Filio dicenti⁸⁴ : omnia michi tradita sunt a Patre meo, cum ad Patrem de illo dicatur : *Omnia subiecisti sub pedibus eius* (Mt 26.64). **Quare** non credis Filio dicenti : *amodo uidebitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei* (Ps 109.1), cum Pater illi dicat : *sede a dextris meis*.

Quare non credis Filio dicenti : *Pater meus usque modo operatur et ego operor* (Jn 5.17), cum Pater illi dicat : *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gn 1.26) ?

Cur non credis Filio dicenti, si sciretis [fol. 272 a] *Patrem meum utique et me sciretis* (Jn 8.19), cum Pater illi dicat : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Ps 2.7). **Sed** ueni quo cepimus et properemus, quo ire conati sumus, ire non desinamus, quo gradere nisi sumus, auidius inpellamur. **Quo** ceptum est ambulare non desinat ambulasse. **Gressus** pergat anime, pes properet mentis, poples ambulet cordis, genua uale, crure stabilire, tibia substa. **Ne** talo concidas, ne planta ruas, ne pede laueris, totus conare, totus expedire, totus adsurgere. **Propone** quod sapis, dicito quod nosti, loquere quod intelligis. **Quod** ruminas, prome ; quod cogitas, enarra ; quod machinaris, expone. **Adest** ueritas, hic est ueritas, ecce est ueritas. **Presto** sunt, qui uera dicunt. **Presto** sunt, qui uera sapiunt, presto sunt qui uera proponunt, presto sunt qui uera defendunt. **Ego**, ego prorsus, cum tu meis profanes testibus, tuis delector auctoribus. **Cum** tu meis deroges, ego tuorum delector assertorum aeloquiis, cum tu meis contradicas, ego tuos obediens, et obtemperans amplector auctores.

[T]anto⁸⁵ enim tui mei sunt, quanto mei tui non sunt. Tanto tui mei sunt, quanto tu a meis es alienus.

Tanto tui iam non sunt tui, quanto nec mei potuerunt aliquatenus esse tui. **Quia** unum et in unum, et ab uno et per unum sunt tui, simul et mei. [fol. 272 b]

Dicito itaque tu, qui nec ueritati credis, qui nec ueritati faues, qui nec ueritati pares, qui nec ueritatem diligis, qui nec ueritati obedis, qui nec ueritatem

82. Propositum corr. en Propositio.

83. Grande initiale rehaussée de couleurs rentrante sur trois lignes.

84. Lettres épaisses écrites d'une encre noire.

85. Initiale non écrite en début de ligne.

abcultas. Quare summi Numinis iussa contemnis ? Quare factoris oracula irrita facis ? Quare sapientię arcana cum considerare nequeas, impugnare pertemptas ? Quare prudentię Dei stultę derogas ?

Quare virtute Dei, cum ipse sis pulvis, inbecillitatem adiungis, qui non credidisti Deo Patri dicenti ad Filium suum Christum Dominum meum : *Filius meus es tu, ego odie*⁸⁶ *genui te* (Ps 2.7), quod nulli alteri hominum dixit, quia nulli alteri hominum dedit hereditatem suam gentes habere, et in possessionem suam terre terminos possidere, quos reget in uirga ferrea et quos conteret ueluti uasa lutea figuli, non humanis exemplis edictis, sed proprii iure domini. Crede eidem Filio de se dicenti : *Ego et Pater unum sumus. Et : Qui me uidit, uidit et Patrem meum, et omnia quę habet Pater mea sunt* (Jn 14.9). Et per Salomonem eadem Sapientia, qui Filius Dei est :

*Quando pensabat*⁸⁷ *celos aderam, quando certa lege, et giro uallabat abissos, quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem po-[fol. 272v° a]-nebat aquis ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens* (Pr 8.27-30). Qui non credidisti Filio ueritatem de se dicenti : crede Spiritui Sancto de quo dicitur : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus* (Lc 4.18). Et **alibi**⁸⁸ : *Requiescet in eo Spiritus Dei, Spiritus sapientię et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientię et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini* (Is 11.2-3). Hoc enim est quod et per Iohannem dicitur. *Et testimonium perhibuit Iohannes dicens : Quia uidi Spiritum descendantem quasi columbam de celo, et mansit super eum, et ego nesciebam eum. Sed qui misit me bapuzare in aqua, ille michi dixit : Super quem uideris Spiritum descendantem et manentem super eum, hic est qui bapuzat in Spiritu Sancto. Et ego uidi et testimonium peribeo, quia hic est Filius Dei* (Jn 1.32-34). Qui non credidisti singillatim personis Deitatis loquentibus, credito eidem indiuisę Trinitatis simul cooperanti, simulque operatrici.

Sic enim per Esayam dicitur⁸⁸ : *Et nunc Dominus misit me et Spiritus eius* (Is 48.16).

Ecce enim in eo quod per Virginem nostram Dei Filius incarnari uenit, operationis suae nouam admirationem tota Trinitas ostendit.

Tu ergo jam qui non credidisti ueritati quę summa est ueritas, et quo nichil est uerius, non erubescas credere assertoribus ueritatis. [fol. 272v° b]

Nam licet isti creatura et conditione sint ueritatis illius qua conditi sunt, qui plenam ac summam ueritatem de suo conditore atque de ueritate ipsius sui conditoris adnuntiant. Ita tamen per se contemnitur ipse, dum contemnitur per istos, sicutique creditur illi dum de illo creditur et isti.

Nam et interdum iudex, per se quidem cum criminoso contendit, sed per internuntios confessionem suadendam extorquent. Et non illi est honerosum, si non contemnat nuntios iudicis, qui contempsit presentiam iudicantis. Solum ut obtineat plenitudinem ueritatis, qui tenet iudicium sanctionis. Crede iam ergo Petro dicenti : *Tu es Christus Filius Dei uiui* (Mt 16.16). Quia in Danielo rex ille impius hunc aspicit cum dicit : *Ecce uideo uiros quattuor solutos et ambulantes in medio ignis, et speties quarti similis Filio Dei* (Dn 3.92).

86. Lire hodie.

87. Corr. praeparabat.

88. Lettres épaisses écrites d'une encre plus sombre.

Quem uere hunc esse credimus Dominum Saluatorem. Sed ne obicias quod in eodem Danielo iste Filius Dei superius angelus nominatur, audi eundem Christum Filium Dei per Malachiam angelum dici : *Veniet ad templum sanctum suum Dominator quem uos queritis, et Angelus testamenti quem uos desideratis* (Ml 3.1). **Quod** quia non est quare dubitas, quare non credis etiam Iohanni dicenti : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; hoc erat in prin-[fol. 273 a]-cipio apud Deum* (Jn 1.1-2). Cum per Dauid Pater de illo dicit : *eructauit cor meum uerbum bonum* (Ps 44.2).

Item quare non credis eidem Iohanni dicenti : *Omnia per Ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nichil* (Jn 1.3). Cum eadem sapientia que uere Filius Dei est per Salomonem dicat : *necdum erant abissi, et ego iam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant. Ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terrae* (Pr 8.24-26). **Quare** non credis Matheo de natiuitate eius dicenti : *Christi generatio sic erat : Cum esset disponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in utero habens de Spiritu Sancto* (Mt 1.18) ; hoc enim est quod Eſaias dixerat : *Ecce uirgo in utero accipiet, et pariet filium, et uocabitis nomen ejus Emanuel ; quod est interpretatum Nobiscum Deus* (Is 7.14). Erubescere inpure et uide eundem esse nobiscum Deum, qui natus est homo. **Quare** non credis Lucę dicenti de loco natiuitatis ejus dicenti : *ascendit Ioseph a Galilea de ciuitate Nazareth in Iudęam ciuitatem Dauid que uocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxorem pregnantem. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret et peperit filium suum primogenitum* (Lc 2.4-7).

Hoc enim est quod Micheas dixit : *Et tu, Bethleem domus Euffrata, numquid⁸⁹ non enim paruulus⁹⁰ es in milibus Iuda ; ex te michi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius [fol. 273 b] a diebus eternitatis* (Mi 5.2). **Quare** Matheo non credis de ostensione eius ad persidos magosque dicenti : *Cum natus esset Dominus Ihesus in Bethleem Iudę, in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente uenerunt Iherosolimam dicentes : Vbi est qui natus est Rex Iudęorum ? Vidimus enim stellam eius in Oriente, et uenimus adorare eum. Et infra : Videntes autem magi stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre ejus.*

Et procidentes adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.

Aurum, thus et mirram (Mt 4.10-11). **Hoc** enim est quod et Balaam ille diuinus in Numeris intulit dicens : *Orietur stella ex Iacob et consurget homo de Israel* (Nb 24.17).

Magi namque ab Orientis parte uenerint, natiuitatem Christi primi stella indice nuntiauerunt. Vt quem artis eorum princeps ante tempus praedixerat, cum stellę ortu consurgere hominem illi cum stellę uisu nascentem, surrexisse hominem demonstraret. **Hinc Eſayas⁹¹ :**

Omnes de Sabba uenient⁹² aurum et thus deferentes, et laudem⁹³ Domini adnuntiantes (Is 60.6). **Quare** non credis⁹⁴ Iohanni dicenti : *erat lux uera que inluminat omnem*

89. numquid écrit dans la marge d'une autre main, en caractères plus petits, avec i suscrit et signe d'insertion.

90. Corr. paruula.

91. Lettres épaisses écrites d'une encre noire.

92. uenient séparé de aurum par une déchirure.

93. em final écrit sur une tache.

94. cre écrit sur une tache.

*hominem in hunc mundum uenientem. In mundo erat et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognouit (Jn 1.9-10) ?*⁹⁵ Hoc enim est, quod et Dauid dicit :

Apud te est Domine fons uitę et in lumine tuo uidebimus lumen (Ps 35.10). Et per Eşayam :

Propter hoc sciet populus meus nomen meum in [fol. 273v^o a] die illa, quia ego ipse qui loquebar ecce adsum (Is 52.6). Cui est honor et gloria uirtus et potestas in saecula saeculorum.

L. III. Ad Bethleem

Quare non credis eidem Iohanni dicenti de exprobratione tua : *in propria uenit, et sui eum non receperunt (Jn 1.11). Hoc enim est quod et per Iheremiam de te dictum est : Pręuaricatione pręuaricata est in me domus Iuda, ait Dominus. Negauerunt me et dixerunt : non est ipse (Jr 5.11-12). Quare non credis Marcho de miraculis operum eius dicenti : afferebant ad eum omnes male habentes, et demonia habentes, et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam, et curauit multos qui uexabantur uariis langoribus et demonia multa eiciebat (Mc 1.32-34).*

Hoc est enim quod Eşayas dicit : *Ecce Deus noster ipse ueniet et saluabit nos. Tunc aperientur oculi cęcorum et aures surdorum audient. Tunc saliet claudus quasi ceruus, et clara erit lingua mutorum (Is 35.4-6). Nam de passione, contumeliis, cruce*⁹⁶, *clauis, morte, et sepultura*⁹⁷. **Quid tibi iam loquar, cum te fecisse illa non dubitas ?** que si facta non crederes, uere quidem non leuiter perfidares. Cum autem facta nosti, et hee non ad salutem mundi facta intelligis, sed ad ejus, ut uidetur tibi, ignominiam talia te fecisse contemnis, uere grandi te dupplici criminis insolubili nodo uinceris, quando et de homicidio innocentis reus teneris et in hac [fol. 273v^o b] mortem eius a te quidem crudeliter inlatam ab illo autem sponte susceptam ad salutem mundi proficisse non credis ? **Sed qui non diffideris te impię egisse qui mecum uniuersitas redemptorum credit, gaudens facta misericorditer esse. Audi miraculorum potentiam quę inter ipsam pęnarum supplicia uidentur exorta. Voluisti enim sacrilegis⁹⁸ *ausibus extorquere sacris uocibus silentia, miraculis antra, uirtutibus latebram, et cunctis operibus eius obliuionis opponere umbram. Sed dicente Scriptura : non est sapientia et non est scientia, et non est consilium contra Deum. Dum inpugnare niteris, expugnatus es, et miro transactionis commercio, miro certandi congressu, miro contrariętatis obtentu, miro sibimet repugnantium rerum effectum.***

Eřigitur de latebra ueritas, de antro lumen, de tenebris splendor, de ignominio miraculum, de infirmitate uirtus, de pęna uictoria. De contentu honor, de cruce tropheum, de morte uita, de sepulcro Viuens. De seruitute mortis, homo liber, de inferis victor, et quod superest, de obliuione testimonium, de silentio uox, et de extincto quod numquam possit extinguui. **Vide ergo⁹⁹ *quę uidere noluisti.***

Adtende uiuentia, quę putaueras extincta.

Intuere in toto orbe terrarum praeclaram quę suasisti custodum mendaciis esse tegendam. Considera qualiter in cęlo, et in toto mundo fulgeat, cum immensitate [fol. 274 a] miraculorum et uniuersitate fidelium, cuius nomen noluisti amplius

95. Point d'interrogation des ęditeurs.

96. Lettres tachęes et effacęes devant cruce.

97. Trou sęparant se et pultura.

98. s grattę entre sacri et legis.

99. Lettres ępaisses ęcrites d'une encre plus sombre.

memorari et respondere. **Quare non credis Paulo dicenti : tradidi uobis in primis quod et accepi. Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tercia die secundum Scripturas et quia uisus est Cefe, post hæc Apostolis undecim. Deinde uisus est plus quam quingentis fratribus [simul] ex quibus multi manent usque adhuc (1 Co 15.3-6). Hoc enim est quod et idem per Daudid dicit : Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in infernum, nec dabis Sanctum tuum uidere corruptionem (Ps 15.9-10). De qua resurrectione dicitur et alibi : Ego dormiui et quieui et resurrexi, quoniam Dominus suscitauit me (Ps 3.6).**

Quibus dictis, non aliut quam dormire, mori et uigilare, resurgere est.

ITEM IN EŒSAIA : Nunc exurgam, dicit Dominus ; nunc exultabor et nunc sublimabor (Is 13.10). Vbi aperte hic propheta preponit quod exurgeret a mortuis, exaltaretur in celis, sublimaretur in regno.

Ipse qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto uiuit et gloriatur per numquam finienda saecula saeculorum.

LC. v. ¹⁰⁰

QVARE ¹⁰¹ non credis uniuersę Eclesie catholicę a solis ortu usque ad occasum, et a mare usque ad mare diffuse, uno ore dicenti :

Credimus in Ihesum Christum Filium Dei qui propter nos et propter nostram salutem crucifixus mortuus et sepultus, tercia die resurrexit uiuus a mortuis. [fol. 274 b] **Hoc enim est quod et Hoseę ex persona sanctorum dixerat, qui cum illo ab inferis die tercia surrexerunt. Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit et sanabit nos. Viuificabit nos post duos dies, [in] die tercia suscitabit nos et uiuemus in conspectu eius (Os 6.1-3). Item in eodem propheta : quasi diluculo preparatus est occursus eius (Os 6.3). Hoc enim est quod et Lucas refert : Vna sabbati ualde diluculo uenerunt ad monumentum portantes que parauerant aromata, et inuenerunt lapidem reuolutum a monumento. Et ingressæ, non inuenerunt corpus Domini Ihesu (Lc 24.1-3). Quare non credis eidem ueritati de hac sua resurrectione dicenti : qui resurgendo conpleuit, quod in suis periculis, Ionas prophetatus immo potius meus ante promiserat.**

Generatio praua et adultera signum querit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ione prophetę. Sicut enim Ionas fuit tribus diebus et tribus noctibus in uentre ceti, ita erit et Filius hominis in corde terre (Mt 12.39-40), id est in sepulcro.

Post quo triduum sicut ille beluam, ita sepulchrum iste reliquid. Intende enim solus inter mortuos liber.

Quia sicut nec peccati contagio, ita nec mortis retineri potuit uinculo.

Quare non credis Marcho dicenti : et Dominus quidem Ihesus, postquam locutus est discipulis, adsumptus est in celum et sedet a dextris Dei (Mc 16.9) ? ¹⁰² Hoc enim est ¹⁰³ [fol. 274v° a] quod et Daniel dicit : Aspiciebam in uisu noctis, et ecce in nubibus celi quasi Filius hominis ueniebat. Subiungit et dicit : Et usque ad anticum dierum peruenit, id est usque ad Patrem. Post hæc infert. Et in conspectu eius, obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et regnum. Et omnis populus, tribus et lingua ipsi seruiunt.

100. Écrit à la fin de la ligne suivante.

101. Grande initiale rehaussée de couleurs rentrante sur trois lignes.

102. Ponctuation des éditeurs.

103. À l'angle inférieur droit du folio, bona su[...] sic sui sur deux lignes coupées sur le fac-similé.

Potestas eius, potestas æterna, que non auferetur et regnum eius quod non corrumpetur (Dn 7.13-14).

¶ **Q**uare¹⁰⁴ non credis ipso donante¹⁰⁵ in eum credentibus post mortem eius Sanctum Spiritum datum. Hoc enim est quod et per Ioel prophetam dictum est : *In nouissimis diebus dicit Dominus : effundam de Spiritu meo super omnem carnem et prophetabunt filii uestri, et filię uestrae (Ac 2.17).*

¶ **Q**uare¹⁰⁴ non credis uenturum iudicem, Marcho dicenti : *Tunc uidebunt Filium hominis uenientem in nubibus cęli cum uirtute multa et gloria, et congregabit electos suos (Mc 13.26-27).*

Hoc enim est, quod et David dicit : *Aduocauit cęlos sursum, et terra[m] discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius, qui ordinent testamentum eius super sacrificia. Et adnuntiauerunt caeli iusticiam eius, quoniam Deus iudex est (Ps 49.4-6).* Audisti testimonio Patris de Filio, audisti testimonium Filii de ipso simul et Patre. Audisti testimonium de Spiritu Sancto, qui ut hunc Filium Dei esse hostenderet de quo secundum diuinitatem idem Spiritus procedit. Quod des-[fol. 274v^o b]-cenderit in eum corporaliter secundum ueritatem incarnationis ipsius, propter cuius corporationem haec omnia et uetustorum et nouorum praedicatorum locuta sunt ora.

¶ **A**udisti¹⁰⁴ que Lex et Prophete a Moysen usque ad Zachariam enarrauerunt ? Audisti que a Iohanne filio eius et deinceps aeuangelistae et apostoli protulerunt ?

Audisti quecunque et primis et nouissimis temporibus per primos et nouissimos uates uno Sancto Spiritu per eos cuncta loquentes.

Concorditer et absque homini ęsitationi scrupulo in unius rei conexione redacta, ueridice sunt predicta. Audi iam hunc diuersarum condicionum, sexum ętatum rerum aelementorum insignia. Vt sicut euaticinantium mira dicta non mouent, tantundem contemplatio diuersitatis, aliquando moueat admiranda. **C**rede¹⁰⁴ primo ipsi Virgini dicenti, quam euidenter et persona et natura diuinitatis adgressa est.

Et quid de se uerum dicat auscultat.

Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit michi magna qui potens est (Lc 1.48-49). Et utique illa que tanto essent admiranda cum uiderentur, quanto et necessario praeuisum est ut tante thot, et pro tanta tempora mirabiliter dicta essent ad redemptionem mundi, mirabilibus expectanda.

Illa utique ut per hanc Virginem Deus fieret homo, Verbum fieret caro. Et Filius Dei factor omnium, fieret filius matris quam ipse formauerat, essetque do-[fol. 275 a]-minator nascendo subditus ancille quam ipse condiderat. Sicque haberet ancilla in subdito Dominum, ancilla in prelato Dominus. Ita factorem suum pareret matrem, ita factor informis materię, rerum natiuitatis suae materiam faceret matrem, atque fieret ex ea quam fecerat idem factori, et haberet nascendi auctricem cui faciendi auctor extitit idem ; semperque diuersa essent concordantia semper dum pro humanis humiliantur diuina, et diuinis subleuantur humanam. Dum quod sublime est cedit humili, et humile dirigitur in sublime, dum forte infirmatur in humili, et humile roboratur in forti, dum feminam adgreditur Deus, et profert femina uerum Deum, dum in utero femine

104. Petite majuscule rouge ornée de bleu.

105. Lettres grattées après donante.

non fuit factoris opus operationis solitae usui, sed statueret admirationem in magnitudinem rei. Sicut tota fecit ex nichilo, ita faceret ex inauditis hoc solum quod semper esset in miro.

Sicut in utero Virginis uteris factor ingressus, nouitatis opus efficiat, fatiens quod ante non fecerat, licet fatiendum esse praediceret, ut in admiratione rei remota lege naturae hoc fieret quod et in se natura factum agnosceret, et inde fieri in se hoc posset negare unde nulla concordia usitate rei idem fieri posse monstraret. Ita homo pareret Deum, ita parturiret terra diuinum, ita uirginitas pareret prolem. Ita remota uiro, parturiret [fol. 275 b] femina uirum. Audisti uirginitatis oraculum, quæ ueritatem tam uere utero concipit et generat quae muliere utero mentis accepit et enarrat. Uno enim Spiritu, et ad fidem fecundata est, et ad prolem. Audi post haec maritatam, naturam sterilem, diebus profetam, moribus inlustrem.

Iusticiam plenam in mandatis eius, coram Domino incedentem iustificationibus Domini permanentem. Inter proximos, sine querela persistentem, sacerdotis coniugem, uaticiniis certam, misteriis cognitam, sacramentis inbutam et Sancto Spiritu plenam Elisabeth. Cum enim salutasset eam, hæc nostra Virgo, ad cuius gloriam hæc pertinet quem narramus, *exultauit infans in utero eius. Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, exclamauit uoce magna dicens :*

¶ **Benedicta** ¹⁰⁶ *tu inter mulieres et benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc michi ut ueniat mater Domini mei ad me ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.*

Et beata que credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei a Domino (Lc 1.41-45).

Audi deinde senis Simeonis confessionem. Quia de exprobratione infidelitatis tuæ, confessorum uetustate senilium artuum resolutionem obtinere non potuit, donec uideret Christum Domini sponsione Sancti Spiritus repromissum. Sic enim de eo dicitur :

Homo erat in Iherusalem cui nomen Simeon, [fol. 275v° a] et homo iste iustus et timoratus, expectans consolationem Israel et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat ab Spiritu Sancto non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum Domini. Et uenit in spiritu in templum. Et cum introducerent puerum Ihesum parentes eius ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in manibus suis, et benedixit Deum et dixit : Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod preparasti ante fatiem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, et gloriam plebi tuæ Israel (Lc 2.25-32).

Audisti enim senem ueternosum Spiritum Dei plenum ? Audi quid dicatur et de Anna uetula quæ erat ex offitio prophetissa, ex genere preclara.

Ex tribu familiæ nobilissima, primo corpore ac mente virgo. Deinde cum coniuge honesta, commitatu coniugis, non longewa. Duodecies septies, uiduitatis annositate longissima, templi incola, ieiuniis austra obseruationibus opulenta. Seruitute Dei diebus ac noctibus occupata nomine Anna. Namque et ipsa per Spiritum Dei loqui probatur, cum de illa dicitur : *Et hæc superueniens confitebatur Domino, et loquebatur de Ihesu omnibus qui expectabant redemptionem in Iherusalem* ¹⁰⁷ (Lc 2.28). Audi post haec cæcum, qui cum de se diceret, iste Deus, *tu credis in*

106. Initiale rouge et bleue entièrement dans la marge.

107. Corr. Israel.

Filium Dei ? Respondit ille et dixit : Quis est Domine ut credam in eum ? [fol. 275v° b] et dixit ei Ihesus : Et uidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait : Credo Domine. Et proci dens adorauit eum (Jn 9.35-38). Crede Martę, qui cum de resurrectione fratris dubitaret, de Filio Dei dubitare non potuit. Qui cum Ihesus diceret : ego sum resurrectio et uita. Qui credit in me, aetiam si mortuus fuerit uiuet. Et omnis qui uiuit et credit in me, non morietur in ęternum. Atque illa continuo interrogans subiecisset credis hoc ? Illa respondit : Vtique Domine. Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum uenisti (Jn 2.25-27). Sed quid per longa rapior, et me in diuersa dispergo, dum te singularum testimonio personarum conuictum superare contendo. Transgrediar singulariter ad stipulatus testium cautiones, quia et suffitiunt tantos de talibus, talia et tanta dixisse : Licet ego non explicauerim omnes talium et tantorum innumeros, et innumerabiliter existentes, ueridicos testes, qui tanto nobiliores sunt et inlustres ut sint et terrae incolatu felices, habitatione sublimes, utrum audi generalem plebis tuae testimonium. Audi uniuersalem gentis tuę consensum cum dicitur : Multi ergo ¹⁰⁸ ex Iudeis qui uenerant ad Mariam et uiderant que fecit Ihesus, crediderunt in Eum (Jn 11.45).

Ita dum adpropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, ceperunt omnes turbę descenduntium ¹⁰⁹ gaudentes laudare Deum uoce magna, super omnibus que uiderant uirtutes ¹¹⁰ dicentes : Benedictus qui uenit rex in nomine Domini ; pax in celo et gloria in excelsis (Lc 19.37-38). Ecce uiuorum te conuictum [fol. 276 a] testimoniis adhuc mortuorum adtestatione conuincam. Sic namque de tempore mortis eius dicitur : Cum emisisset spiritum, ecce monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant ¹¹¹ resurrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem et apparuerunt multis (Mt 27.52-53). Audisti uiuentium preçonia, audisti mortuorum adtestationes, uerum est que audisti.

Nec te audisse immo nosce certe, et nolle credere, poteris pernegare ?

Sed si testimonio uiuentium ac defunctorum resurgentium adtestatione non credis, rogo saltem illic cuius usque huc dominio teneris. Imperio regeris, instinctu uexaris. Credas, subcumbas, obedias et confitenti demonio credas. De quo dicitur : Occurrit illi uir quidam qui habebat demonium iam temporibus multis, et uestimento non induebatur, neque domi manebat, sed in monumentis.

Ut uidit Ihesum, proci dit ante illum, et exclamauit uoce magna et dixit : Quid michi et tibi Ihesu, Fili ¹¹² Dei altissimi ?

Obsecro te, ne me torqueas. Preçipiebat enim spiritui immundo ut exiret de homine.

Multis enim temporibus arripiebat illum et uinciebatur catenis, et custodibus conpeditis ¹¹³ et ruptis uinculis agebatur a demonio in deserto. Interrogauit autem illum Ihesus dicens : Quod tibi nomen est ? At ille dixit : Legio. Quia intrauerunt demonia multa in eum. Et rogabat ¹¹⁴ illum ne imperaret illis ut in abisso ¹¹⁵ irent (Lc 8.27-31). Crede ora [fol. 276 b] demonis crede, ut dum credis quod ille fatetur, euadas

108. ergo écrit en interligne.

109. Corr. discentium.

110. Corr. quas videbant virtutibus.

111. Corr. dormierunt.

112. Un second i gratté.

113. Corr. conpeditibus custoditus.

114. Corr. rogabant.

115. Corr. abyssum.

quod ipse meretur. Dumque confessionis eius non contradicis, operi contradicas, et in eo quod credideris sicut ille desinas operari quod ille.

Sicque illius arripiens uocem, reprobos opus. Sic communem confitens factorem et dominium seruitutis illius excucias iugum. Sic eius abita confessione desinas diffideri quod ille inpellente cogaris pernegare. Actenus de confinio telluris, de habitatoribus humi, de participibus aruę, de comitatu terreno, ex societate hominum, ex humana cognitione, ex hominum narratione, ex humano¹¹⁶ eloquio, testimonio adtuli. Testem protuli, adtestationem intuli, testificationem detuli. Firmaui propositum, adstipulaui quod dixi, adseueraui quod intendi, roborauui quod ingeci, et ueritati pleniori firma monstraui quę audientiam de ac fide certus induxit.

Iam nunc multo letus, multo iocundus, multo elatus, multo plaudens.

Exornent que sunt firma, uenustatem firmam, decorem solidam, et situm religione permutans. Postquam ęternorum adtestatione sufficio, postquam beatorum hominum testificatione redundo, postquam demonum confessione delector, caelos petam, ęlestiaque prescrutabor.

In caelis perquiram, ęlorum regiones fide ac mente discurram, ibique inueniens defensores propositionis meę, de illa curia ęlestis militię adducam. [fol. 276v° a]

Cui fidei meę praerogatiuam conuincant, qui ualidius conectant, quę ego dixeram, qui fortius alligent, que ego preposueram, qui firmius astringant, quae ego intuleram, qui aeternę pacis soliditate stabiliunt, quę ego defensionis contemptionem ęnarraueram, qui ualore ęternitatis consolident, quę ego lassedinis fragilitate tardior et lentus adstruxeram.

ADVOCATIO ANGELI.¹¹⁷

Ueni¹¹⁸ sanctę Gabriel et dicito nobis exordium rei huius.

Initium miraculi istius, principium operis huiuscemodi, in effectum enim operationis istius. Prius Virginem tu salutas, prius Virgini tu indicas.

Anterior Virgini, tu adnuntias, et de Dei Verbo in celis instructus in terris Virgini nouum incarnationis eius opus insinuas. *Missus est angelus Gabriel a Domino in ciuitatem Galilęę, cui nomen Nazaret ad Virginem desponsatam a uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, et nomen uirginis Mariae. Et ingressus angelus ad Mariam*¹¹⁹ dixit :

SALVTATIO ANGELI.

Aue¹²⁰ [Maria] gratia plena, Dominus tecum ; benedicta tu inter mulieres. Quę cum audisset turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei : Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies in utero et paries filium, et uocabis nomen eius Ihesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi uocabitur. Et dabit [fol. 276v° b] illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Iacob in ęternum, et regni eius non erit finis, qui uiuit et regnat cum Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula

116. ho corr. en hu par u suscrit sans suppression du o.

117. Titre occupant la fin de la ligne et de la ligne suivante.

118. Initiale rehaussée de couleurs rentrante sur une ligne.

119. Corr. eam.

120. Initiale rouge et bleue entièrement dans la marge.

Dixit ¹²¹ *autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco ? Et respondens angelus dixit : Spiritus Domini superueniet in te, et uirtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Ideoque quod nascetur ex te sanctum, uocabitur Filius Dei.

ITEM

Ioseph autem uir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit ei in sompnis dicens : Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et uocabis nomen eius Ihesum. Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum, qui uiuit et regnat in saecula saeculorum.

LECCIO. V.

ITEM : *Et pastores erant in regione eadem uigilantes et custodientes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos* ¹²², *et timuerunt timore magno.*

Et dixit illis angelus : Nolite timere. Ecce enim euuangelizo uobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est uobis odię Saluator mundi qui est Christus Dominus in ciuitate David.

ITEM. *Ibi loquente angelo ad pastores : Et hoc uobis signum : Inuenietis infantem pannis inuolutum et positum in praesepio.*

Et subito facta est cum angelo multitudine militię cęlestis, laudantium Deum et dicentium : Gloria in ex-[fol. 277 a]-celsis Deo, et in terra pax hominibus bone uoluntatis (Lc 2.12-14). Quid de reliquis testimoniis et obsequiis refferam angelorum ? Cum post temptationum humane patientię, accedunt angeli et ministrant ei, uere ut Domino conditori. Quid quod angeli resurrectionem eius primi nuntiant, terrisque sepulchri custodibus non querendum cum mortuis uiuentem fidelibus indicant. Quid quod ascensionem eius angeli committantur, et reditum eius ita esse sicut et ascensum angeli adstantur ¹²³. *Ecce impleta est terra testibus partis meę, quia et repleti sunt caeli simul ac terra ueritate fidei meę.*

Ecce testibus partis tuae, adfirmaui que dixi, ecce testibus partis meę, roborauim que testes dixerunt partis tuae. Hac ¹²⁴ *proinde tam quos tu adsumpseras, quam quos ego protuleram, toti facti sunt mei.*

Quia quod proposui, de illorum doctrina didici, et inde propositionem meam illorum testificatio subsecuta est. Vnde cognitio illorum defensionem meam antepraeuenit. Quid ergo restat esse te sine illo et habere et prorsus nullum, sed esset tibi te male conscius solum, dum fidei meę sinceritas totos habet in unum, quos tu diuidere nitebaris ab uno. Postquam terrenorum et cęlestium adtestatio defensionis meae contulit munimenta. Postquam in caelo et in terra uiuentium ueritatem meam roborata repperta sunt. Postquam et beatitudo terrena, et angelica celsitudo unanimiter adfirmavit, quod me ueraciter audientia tuae intulisse praeuidit. Def-[277 b]-feram adhuc insensibilium, et non intelligentium aelementorum, ac rerum tam ditissimae obedientiae sollicitum adparatum, ut in conparatione communi hec sentiant ut homo. Tu autem aut discentias ut animal, aut nec sentias ut lapis, sicque illa sibi tuam rationem extorqueant.

121. Initiale rehaussée de couleurs rentrante sur trois lignes.

122. Lacune de la citation.

123. Le second s suscrit.

124. h minuscule ajouté devant A rehaussé de bleu.

Vt cum tu illorum obsequium, non inpetres insensibilitatem merito feras. Confessionem illam suis moribus quasi uocibus clamant. Tu autem dum uocibus ueritatem repellis, iam quasi nec motibus sentis. Vide ergo primo stellam nouę natiuitatis nouo processionis apparatus prænuntians, exuperare candore çelos. Vincere fulgoribus, confines siderum coros, adire ultimas, summo limine terras, per ignota uagos, praeire deuotissimos reges, ospitium demonstrare nascentis, et toto nisu ostendere quod ¹²⁵ solus adorandus iste sit Deus, cui ducatu suo adorantes subdidit reges.

Uide inde in primitiui operis eius insigne licorem, qui de aqua fit unum.

Quomodo colorem uersat, saporem trait, odorem reddit, uirtutem mutat, et cum non sit omnino quod fuit, non tamen est aliunde quam unde fuit. Si enim aquam queras, iam non est. Si uinum intendas, dicito ubi exortum est, quia aqua diffusa non est. Quid ergo quia nec accessit uinum, nec recessit aqua, nisi quia alterum factum est aliud, ut esset ex alio aliud, non successionis uicę, sed [fol. 277v° a] inmutationis origine; nec rationis expositio, sed admirationis obtentu. Vide panes et pisciculos quam per sua nequeant, per eorum a quibus sumpta sunt ora loquentes. Et que non possunt uirtutum dicere quam sentiunt, tamen potenciali hos exprimentes magnitudine quod concresecunt. Etenim extra pastum, et saturitatem thot ¹²⁶ milium, quaternum fractater ductum, conplent numerum cofinorum, quę intacta unum poterat conplere cofinum. Vide nemus ficulnęę, tam cursim oblitum esse quod fuit, quam raptim amisisset aetiam et quo uixit. Nec sustinere senio uirorem amittere, nisi et uirentem uitam quantotius amisisset.

Vide mare, cuius unda si uerteretur in lingua, utique quod murmurat promeret.

Sed quia proloqui nescit, quod dicere nequid, se fecisse conuincit, dum uestigium sustinet dominantis, obruit famulantes. Labens sub corpore famuli, saxea subpondere Domini. Ad unum imperium, duas deferens seruitutes, quando et sub conditoris planta robustę durescit, et adhuc obsequentem sustinet, quem sustinere trepidum recusat.

Vide rursus id ipsut mare quod cum suis motibus intumesceret, et feroces sonitus in Caripdum molestias fragore spumoso conluderet nauiculam quę superbo tergoque resaliens fatigaret. Quomodo ad iubentis imperium tam raptim lenitudinem summit, ut nauiculae admirantes [fol. 277v° b] incolae dicant: Quis iste est, quia venti et mare obediunt ei? Item ipsius ponti considera indigenas, quomodo quasi notissimam discipulorum uota refugiunt, hac sese capiendam denegant in capturam, et ad uoluntatem opificis ita reddere coaceruatim adimplent, ut in abstraendo se honeris tedium traendo fiant. Vide langorum diuersitates procreticos feruorem retinere non posse recursus, sed ad presentiam Saluatoris uigens languentium liquere corpus?

Vide sepultos atque sepulcra inter se ita sepe liendi rescindere fędus, ut ęternos ospites, ad momenta citatim monumenta reffellantur, ueluti si uideas pauentia restituere susceptos, quasi tenuissent obactos quos uiolenter susceperant seruatuos. Vide diem tenebrarum ad tactum togam deponere lucis? Et inuiso conatu tam raptim adquisisse quod sorduit, quam cursim mansisse quod lucuit.

125. d ajoutę en interligne.

126. Lire tot.

Vide solem ad hoc prorsus amisisse quod ex gaudio claruit, ut pallens lumine induceret ex merore quod luxit, cum soluta luminosi fēderis fibulam fuluam refellens claritatis insolubilis palam se in illius diei angulo horroris innexum diploide conglobabit. Vide arba sue soliditatis stabilitatem renuentia quali tremore, et patulas et ignotas lapsa est in ruinas. Nec sic uelut telluris exemplo subruui per momenta sed unius tantum diei nutatione uexari.

Quoniam illam receptus sinu terrarum spiritus uexat, [fol. 278 a] hanc uero gloriam Crucifixi conturbant.

Vide saxum ponderis duritia fugientia quos scissurarum penetrata soluuntur dum resolutioni duritia cedit, et soliditas dissipationis subcumbit. Adtestantia cuius sit potentiae quem in se continuo recipiant sepeliendum quando fixuris sue confusionis sic honorant, tremant iam defunctum. Animaduerte iam nunc, et lapideum pectus uel exempla lapidum findant ¹²⁷, et uide quia haec omnia non aliut suis motibus, suis inmutationibus, suis conatibus profitentur, quam quod tu solus aut incertus diffideri conaris, aut pro certo perfidus diffiteris. Non est ex hac ueritate pro certo quod dubites, non est quod ereas, non est quod inpingas, non est ubi offendas, non est ubi oberres, non est ubi sis anceps.

Non est ubi nutans ¹²⁸, non est ubi titubans, non est ubi trepidans, non ubi ambiguus, non ubi dubius. non ubi incertus, non ubi animo claudicans, non ubi fide labens.

Omnia uera sunt, omnia iusta sunt, omnia sancta sunt, omnia sacra sunt, omnia indubitata sunt, omnia fidelia sunt, omnia fixa, omnia stabilia. Omnia confirmata in saeculum saeculi facta in ueritate et equitate.

Que de his sacrę littere cęcinerunt, quę sacrae pagine allocutae sunt, quę sacri apices adnotauerunt, quę lex sacratissima promulgauit, quę sacra testamenta praecipiant, que libri sacratissimi continent, que sacra iussa decernunt, quę cęlestia iura constituunt, quę celo et terra transeuntes sua ęternitate non transeunt, [fol. 278 b] quę transeuntibus aetiam ęlementis transire nequeunt, donec omnia impleantur. Deuictis hostibus, elisis aduersis, extinctis emulis. Adtriti inimicis, prostratis, insultantibus deiectis inuidis, omnibusque potentię diuinę uirtute contradicentibus expugnatis pio desiderio, querulus.

Bono appetat, auidius, lęta ęsuriae anelus. Grata delectatione promptissimus, quo potuero, quo ualuerō, quo uidero, quo sufficero. Intendam, nitar, exsequar, coner. In hoc ¹²⁹ sacramento defigere uisum, in hac admiratione uirtutum, oculos imprimere euentantes. In hoc arcano secreti auidum ingerere sensum, ad hoc caelestis glorię lumen dirigere caligantis aciem uisionis. Sed qualiter presumam, quomodo adgrediar, quo nisu properem, quali conatu inpetam, pollutus labiis, immundo ore, impurus lingua, squalens uerbis, corde prauus, mente iniquus, factis impius, ut de uirginitatis gloria corruptio disserat, de incorruptionis ¹³⁰ laude inmunditia traetet.

De pudore, inpuderatus enuntiet, de uerecundie bono, inuerecundus enarret. At nunc qui ut saluer, ut munder, ut justifier, ut sanctifier, uenit ad humana Deus,

127. Un e gratté a laissé un vide entre fi en ndant.

128. natans corr. en nutans par u suscrit sans suppression du a.

129. c suscrit.

130. Déchirure laissant un vide.

ad extrema cęlestia conuenerunt ad infima forcia descenderunt ¹³¹. Temporalibus aeterna coniuncta sunt, inbecillis robusta, exinanita conserta sunt, [fol. 278v° a] seruilibus dominica copulata sunt, plenus beata fide, saluandus indulgentia copiosa. Iustificandus pietate multa, uiuificandus miseratione diuina, expiandus ab omni iniquitate patrata.

De festis gaudiorum angeli, de leticia iocunditatis eius, de redemptione mea, de salute mea, de uita mea. Loquar angelo, sciscitabor angelum, interrogabo angelum, affabor angelum. Dico michi res amica Deo et cunctis contemplatione uicinior. Effare in creaturis res anterior, enarra creaturarum res potentior, exorire creatura post firmamentum casibus nescia. Magna in conditione tua, potentior in ordine tuo, excellens in natura tua, perhennis in ęternitate tua, magnifica in claritate tua. Non tua te gloria inuoco, non magnam extenuo, non aeternam adtero, non sublimem detrao, non potentiori resulto. Quia nec de tua stabilitate, sed de tua loquor conditione.

Fide prouocor, amore inpellor. Admiratione delector, gaudio leętor. Miserantis gratia pręuenior, misericordia ¹³² gratissima subsequor. **Tu** sancte angelus Domini qui mitteris ad Virginem Israel, qui uenis ad matrem Domini, qui prophetas ad singulare uirgineum decus in mundo, enarra quid incorruptius, quid sincerius, quid integrius, quid solidius.

Inter uirginitatem ¹³¹ maternam, et conditionem angelicam, inter uirgineam fecunditatem et an-[fol. 278v° b]-gelicam formationem, inter incorruptibilem uirgineum decus et angelorum exordium.

Inter pudorem prolem peractum, et angelice nobilitatis initium. Virginitas que fecundatur et non corrumpitur, an angelica celsitudo cuius pars ruina prostratur. Decus uirgineum, quod et post partum nitet, an nobilitas angelica, que post gloriam culminis damna sustentat in sociis. Integritas materna, que et post fetum prolis concreuit in gloria Virginis, an conditio angelica que detrimentis lesa est in subiectis. Partitudo matris que inde fit generationi Dei unde nescia corruptionis est sibi, an gloria plebis tue que ante soliditatem incurrit diminutionem partis multitudinis suae. Certo est quod angelorum castra superbia rupit, cuneos eorum presumptio ministrabit, plebes ipsas, prauitas dimittit, turmas ipsorum, ęlatio conlinit. Nam uirginitate Domine meę, genita proles nec introiens nec exiens lesit, nec concepta nec nata uiolauit, nec eam cum ospitaretur, in illa tristauit, nec illa cum egrederetur incorruptione priuauit. Hanc feminam conceptio uirginem reddit, hanc feminam partus uirginem seruat, hanc feminam generatio uirginem ¹³³ habet, hanc feminam filius itaque ¹³⁴ post exitum nouit, sicut ante conceptum inuenit. Et huius certe uirginitas semper incorrupta, semper integra, semper inlesa, semper inuiolata. Nam angelice forma naturae ante soliditate fragilis, ante firmamentum habens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans, atque nutans. Haec femina, sanctificationis [fol. 279 a] uas est, et eternitas uirginitatis est, mater Dei est, sacrarium Sancti Spiritus est, templum singulariter unicum factori sui est. Verum angelice beata condicio creaturae, post

131. Le texte est interrompu au milieu de deux lignes par un trou dans le parchemin antérieur à la copie.

132. Le mot est coupé par une déchirure antérieure à la copie.

133. Défaut du parchemin entre uirg et inem.

134. Défaut du parchemin interrompant le texte.

stabilitatem solida bonis, post soliditatem indefitiens in amore diuinitatis, post firmamentum perhennis, in aspectum dominice uisionis, post robur inseparabilis a consortio Deitatis. Ex qua lucis immensitate tu sanctae Gabriel uenis ad Virginem, ex qua beatitudine adcurris ad hominem, ex qua aeternitate accedis ad tempora, ex qua gloria, properas ad humana. Omne tamen quod agis, quod de cęlo uenis, quod ad terram uenis, quod de Deo uenis, quod ad Virginem uenis, quod Virginem salutas, quod nouam generationem adnuntias, incarnando Verbo obędis¹³⁵, in Deo hominem adsumpturum paris generando ex Virgine seruis.

Filio ancille in serui forma nascituro famularis. Quoniam iste incarnatus Deus factor tuus est, iste homo simul et Deus et creator tuus est. Iste filius ancillę suę, Dominus tuus est, iste quem in abiectioe serui nasciturum adnuntias, in gloria Patris dominator est tui.

Et hac¹³⁶ quidem ante natiuitatis gloriam, dignum erat ut angelus nuntiaret, tante dignitatis oraculis oportunum erat ut angelus inseruaret tam nouę generationis opus conueniebat, ut angelus indicaret, tanti secreta miraculi conperebat, ut angelus reseraret.

Ita quoque decoris fuit, ut humilitatem Dei angelica sublimitas enarraret, ita competens, ut in formam serui rerum Dominum nasciturum inseruiens, dominatio cęlestis edideret. [fol. 279 b] ita dignum ut nouam generationem nouo offitio maiestatis angelica dignitas intimaret. Ita haec cum ut ineffabilis causa miraculi quomodo fieret angelica cognitio demonstraret. Ita iustissimum ut nouo aduentu principem egressurum nouo apparatu, aetiam suma cęlestium anteiret, sic Domini tui nuntius eras, sic directus a Domino tuo ueneras, sic missionis dominicę iussa perficiebas, sic sanę ordinationis regiae decreta complebas, ut uere quod in cęlis de Patris Verbo cognoueras, matri de incarnando Verbo referens, quod de cęlestibus adtuleras, terrenis inprimeres. Et quomodo se Filius Dei nasci uellet ex homine simul et auditibus induceres hominis, et arcanis inferes humanis. Tu angelus de Verbo didiceras, quę de Verbo refferebas, de Verbo cognoueras quę cognoscenda de Verbo narrabas, de Verbo auseras, quibus auriendam Virginem propinabas.

Ut qualiter ex carne matris incarnari posset matris animę nuntiares. Viderunt te cęlestes uirtutes nascituri Filii inperii deseruire, uiderunt ęlementa illum te habere Dominum, quem tali nuntiabas proienię nasciturum. Viderunt socii gloriae tuę se ętiam tecum coram isto homine incuruari, uiderunt omnes excelsorum et sublimium potestates hunc in Domino adsumptum hominem et antiquae seruitutis offitia nobis praeconiis intulerunt.

Quando est adclamatum Gloria in excelsis [fol. 279v° a] isti humili Deo, et in terra pax hominibus, in hunc Deum humilem bona uoluntate credentibus, quia ipse est Dominus et Redemptor aeternus qui cum Deo Patre uiuit.

Ipse¹³⁷ te misit ut de se diceres Virgini quid esse quid facturum esset nosse dederat tibi. Ipse te suę diuinitatis scientia perlustrauit, qui suę humanitatis nuntium fecit. Ipse te nuntiare se in serui formam nasciturum miserat, quem

135. † final corr. en s par surcharge.

136. Corr. hanc.

137. Très grande initiale rehaussée de couleurs, rentrante sur quatre lignes.

gloria sua in unitate paternę uirtutis adorabas. Ipse te palam refferre mundo miserat, qui te cęlestium secretorum ¹³⁸ arcanis instruxerat.

Bene tecum, quia diminutionis partis tuę redintegrationem adnuntias.

Bene michi, quia me in tuam integritatem te nuntiante receperas ¹³⁹. **Bene tecum, quia ruinę partis angelicę ab omnibus reparantur ; bene michi, quia in tuę integritatis parte reducor. Bene tecum, quia in pace tua homines recipis ; bene mecum, quia pacem tuam quam non merebar accepi. Bene tecum, quia Verbum incarnatum adoras ; bene michi, quia naturę meę est ille ueritas quem adoras.**

Bene habemus sancte angelus unius titulos dominatus Dei. Bene Deus noster participem me tibi fieri in ęternitatis adnotatione pollicitus est. Bene promisit michi tecum habere cęlum. Quare me sicut te se uoluit solum habere Deum ? Bene me sui nominis inpressione notauit, quia ex illius corporis sanguine me redemit, quod tu in sede Patris adoras, intueris et [fol. 279v° b] ueneraris. Pars sortis est tuę, ut numquam ab statu beatitudinis corrueres. Pars sortis est meę, ut post casum meum reparer in adsumptione corporis Domini mei. Pars sortis est tuę, ut semper cum Deo meo esses. Pars sortis est meę, ut aliquando possem cum Deo nostro esse.

Pars sortis est tuę, ut numquam decidas a naturę tuę beatitudinem. Pars sortis est meę, ut repararet aliquando in dignitate naturę meę. Pars sortis est tuę, adorare naturam meam in Deo meo. Pars sortis est meę saluari per hoc quod natura mea adsumpta est in Deo meo. Plane hęc quę narro certe quę ago, prorsus haec quę loquor, uere haec quę intimo, uera sunt, iusta sunt, pia sunt ; et caelesti intelligentia tam plana manebunt quam plena consistunt. Non enim mea sunt, non ex me sunt, non ex natura mea sunt, non ex conditione mea sunt, non ex merito mea sunt. Ego enim cinis sum, ego terra, ego corruptio, ego putredo, ego ęsca uermis, ego inexobitate. Sed non euadendę consors mortalitatis, hęreditatis, cuius habitatio effossa tellus, cuius requies ; tumulus, cuius domus sepulcrum, cuius mansio monumentum.

Haec autem a Patre qui in cęlis est, reuelata sunt michi, a Filio eius qui est sapientia ipsius ; ista didici. Spiritu Sancto hęc docente cognoui.

Haec de cęlo uenerunt, quia dona optima sunt. Hęc a Patre luminum descenderunt, quia ueritatis in eis transmutatio non est.

Ista enim in terris tecum noui, quę ipse nosti, mecum in cęlis. Ista ego in peregrinationis meę [fol. 280 a] loco didici, que tu in tue beatitudinis ęternitate iam nosti.

Ista ego in fidei ueritate percepi, que tu in tue uisionis plenitudinem cognouisti.

Quia hęc tu michi de celo ueniens indicasti, dum offitia seruitutis agis, in enunciatione adsumende humanitatis. Hec adtestati sunt angeli.

Dum natiuitatem hominis huius cęlestibus adsecuti sunt ymnis, clamantes ¹⁴⁰ : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bone uoluntatis* (Lc 2.14). **Hęc demonstrarunt angeli, qui deuicto ausu temptationis accesserunt et ministrabant ei** (Mt 4.11). **Hec ostenderunt angeli, cum admirantes nouum hominem sedem conscendere Deitatis uocibus se inpetrabant alternis : Tollite portas principis uestri et eleuamini, porte eternas, et introibit Rex glorię** (Ps 23.9). **Respondentibusque :**

138. ao liés corrigeant un secretarum..

139. es final corr. en as par surcharge.

140. c initial écrit dans la marge.

quis est iste rex glorię (Ps 23.10) ? sequenti responsione firmatum est. **Dominus uirtutum ipse est rex glorię** (Ps 23.10) ; hec Dauid probat qui ait : *Adorent illum omnes angeli eius* (Ps 96.7), hec idem insinuat. *Laudate Dominum omnes angeli ejus* (Ps 148.2). Hec Esaias infert. Quum cherubin et serafin, sese in huius laudis exsultationis, comotos indesinenter clamare testatur : **Sanctus, Sanctus, Sanctus**. Ut ter repetitum Sanctum de inseparabilis Trinitatis unum Dominum Deum Sabahot [fol. 280 b] esse demonstrat. [H]ęc ¹⁴¹ Ihoannes adstruit cum animalia celi enarrant, requiem non habere dicentia. Eundem ipsum celesti glorię ymnum. Hęc idem adsignat cum dicit : *Vidi et audiui uoces angelorum multorum in circuitu troni, et animalium et seniorum. Et erat numerus eorum milia milium dicentium uoce magna : Dignus est Agnus qui occisus est accipere uirtutem et diuinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. Et omnem creaturam que in celo, et super terram et que sub terra, et que sunt in mare et que in eum* ¹⁴². **Omnes audiui dicentes Sedenti in trono et Agno : Benedictio et honor et gloria et potestas, in saecula saeculorum** (Ap 5.11-13). [H]ęc ¹⁴¹ Paulus in Epistola ad Ebreos copiose proponit, confirmataque concludit : Hęc ipse homo in quem plenitudo diuinitatis cor inhabitat, complet quum in aduentu suo commouerit uirtutes celorum dicit. Et tunc ipsum uideri in gloriam Dei Patris cum angelis suis. Ecce non solum quia angeli seruiant Domino meo filio ancille suę Virginis suę celesti doctrina didici. Verum et eorum offitia in experimento seruitutis [fol. 280v° a] uerius percognoui. Nam tu ipse Gabriel qui diceris fortitudo Dei, uenisti ad Virginem nunciare, hominem nasciturum qui simul potestates aeras et principem uinceret mundi. **Item** : angeli pastoribus nunciant natum, quem tu Virgini praedixeras nasciturum. Isti quoque glorificant ut Deum, de quo tu dixeras : *uocabitur Filius Dei* (Lc 1.35). Ecce hunc adorant angeli. Ecce hunc glorificant angeli. Ecce hunc conlaudant arcangeli.

Ecce patet ymnum quod intonant angeli. Ecce ministrant angeli.

Ecce hunc conscendere sedem Deitatis. Personant angeli. Ecce nunc in eius iubilo sibi requiem dare nesciunt angeli. Ecce ¹⁴³ in seruitutis ejus famulatu, properantes cognoscimus angelos. Et commoueri celorum uirtutes audiuius. Nam et optimum certe est, tamen, excelso Deo eterno, tam umiliter hac temporaliter ex Virgine genito dignitatis angelice gloriam inseruire. Quare ? Quia ille in utraque natiuitate incompraensibiliter inenarrabiliter natus. Angelica autem uniuersitas eius, eternitate praeuenta et eius operatione formata. [D]e ¹⁴¹ illo dicitur : *Generationem eius quis enarrabit* (Is 53.8) ? Quod et in [fol. 280v° b] saluatione tua hec ipsa Virgo miratur. Que Verbum tui uirgineę matre adstruitur. Et tu ipse sciscitanti eidem Virgini quomodo fieret generationem adnuncias inaudita. De te autem dicitur : **Fiat lux. Dixit Deus fiat lux.**

Et facta est nature tue cunctis creaturis et anterior et prestantior lux (Gn 1.3). Illi dictum est : *Filius meus es tu : ego odie genui te* (Ps 2.7), quo nulli umquam angelorum est dictum.

De uniuersitate autem creaturarum dictum est : *Omnia subiecisti sub pedibus eius* (Ps 8.8). Interque omnia et substantia illi subiecta inuenitur angelica. De illo dictum est : *sede a dextris meis* (Ps 109.1). Quod angelis dictum non est. De his

141. L'emplacement de l'initiale rehaussée est laissé vide.

142. Corr. mare, et quae in eo.

143. in ser, écrit en fin de ligne, est repris au début de la ligne suivante, sans correction.

autem quia sunt facti dictum est : *Qui facit angelos suos Spiritus et ministros suos ignem urentem* (Ps 109.4). De illo dictum est : *Sedes tua Deus, in saeculum saeculi* (Ps 103.4). De his autem dictum est : quia coram illo adstet omnis angelorum exercitus cum tremore. Sed ut de uirginitatis huius Domine meę, gloriam, auctior triumpho, excellentiori praeconio. Fideli conatu et sincerissimo uoto. Amabilique apeto cum celestibus iubilem uirtutibus. Perituris praeferam hostibus. Amantibus praeferam fratribus. Cognituris, praedicem ignaris. Delectantibus commodem cognitis ? Ad-[fol. 281 a]-huc nosce desidero. Scire uolo.

Sapere cupio. Certificare obto.

Instrui exoro. Doceri quero.

Quid hoc est quod dicitur *generationem autem eius quis enarrabit* (Is 53.8) ¹⁴⁴ ? Si de natiuitate diuinitatis eius hoc dicitur, quod et utique uerum est quia propter ea, sed non solum propterea dicitur.

Ecce ista natiuitas Deitatis hoc tantum est quod de Deo natus est Deus. De lumine Deo, lumen Deus, de ore Dei, Verbum Deus.

De corde Dei, sapientia Deus, de substantia Dei, uirtus Deus. Et hec omnia Deus hunus in saecula saeculorum amen.

Item ¹⁴⁵ si de natiuitate humanitatis eius, quod dictum est. Quod certe uerum est, quia et propter hoc dictum est. Quid est generatio Filii huius, qui tam admirantur inenarrabilis ¹⁴⁶ praedicatur. Nisi conceptio incorrupta, nisi uirginitas pariens, nisi partus uirgineus, nisi uirginitas materna, nisi natiuitas uirginalis. Et omnia Virginis fete incorrupte matris. Puerpere, integre, inuiolate genitricis, illese ¹⁴⁷ generantis ¹⁴⁸. In qua sic diuersitas concordauit, sic accidentia quoesserunt. Sic multimoda, copulata sunt. Sic concurrentia innotata ut duabus quidem inusitatis rebus, eterna tamen lege discretis et admirabili unitate conexas in hac sola uirgine fieret. Hec tantundem uere generatio inenarrabilis ¹⁴⁶ solius huius tantummodo unice prolis. [fol. 281 b] Set ais Virgo : *Quomodo fiet istud quia uirum non cognosco*. Respondit angelus : *Spiritus Sanctus superueniet in te et uirtus Altissimi obumbrabit* ¹⁴⁹ tibi. Propterea quod nascetur ex te sanctum, uocabitur Filius Dei (Lc 1.34-35). Extra hoc autem esse sollerter legendum uirginem usus est. Post Virginem esse matrem husus est. Esse incorruptam feminam ¹⁵⁰ husus est. Post corruptionem fieri genitricem usus est. Abere genitalium pudorem husus est. Post genitalium pudorem habere prolem usus est. Que tanto a se nature eterna lege discordant, ut numquam tunc mater, quando uirgo. Numquam tunc uirgo, quando mater, numquam uirgo pariat, numquam mater uirginitatem clarescat. Unum tempus numquam teneat uirginem, simul et matrem. Vna femina numquam uirginitate simul et prole congaudeat.

Inde talis generatio non insignum, singulariter non ratio, non insigno. Singulariter, non in miro. Mirabiliter, non in promptu. Inenarrabiliter, non exerto. Quia non est signum, non est mirum, non mirabile, non inenarrabile. Idipsum

144. Une lettre grattée après le e initiam.

145. I initial écrit dans la marge d'une autre main.

146. Un premier n gratté après ine.

147. inlese corr. en illese par grattage et ajout de l en fin de ligne.

148. tes final corr. en tis par surcharge d'un grand I.

149. uit corr. en bit par surcharge d'une autre encre.

150. em final corr. en am.

enim naturale est, usuale est, corruptibile est, mortale est. Interdum turpiter amabile est, interdum oneste odibile est. Interdum istud ¹⁵¹ amabile est, interdum iste odiendum est. In hac autem uirgine, sic istius Filii Dei [fol. 281v° a] inenarrabilis generatio copulauit.

Utraque ut uirginem se abeat mater, matrem se habeat uirgo. Vt uirginem matrem se abeat proles, uirginem matrem abeat matrem. Virginem admiretur puerperam coniux. Integritas quoque conceptionis adereat, pudor conceptionem sapiat, uirginitas conceptum claudat.

Sicque uirginitatem natiuitas non scindat, sic pudorem egressio non deturpet, sicque generatio integritatem non adimat, sic ueritas partus ueritatem uirgineam non extinguat. Iam mirabiliter ergo concordantibus in una persona simul et tempore diuersitatibus rerum. Vt hec eadem sit mater que uirgo, ipsa uirgo qui mater. Numquam mater, nisi quando et uirgo. Et postquam mater, nobilior uirgo. Hacta est hec sola inenarrabilis generatio. Quam ideo esse, admirabilem extimo. Quia non illic aliquam rationem, quia idipsum factum est. Qua reuelari nequeat lateret praesentio ¹⁵², sed id tantum esse quia factum est. Quod signum est, quod mirum est, quod inauditum est, quod inusitatum est. Quo uere admiratione usum est inenarrabile esse, etiam narrando, incognitum non est. Si enim esset quod lateret, et tamen idipsum non aliud quam rationis cognitio esset. [fol. 281v° b] Posset quidem res quilibet rationis capax de eo quidam, aut indagazione percipere, aut sagacitate peruenire. Aut adinventionem colligere, aut collectionem tractare, aut tractatum meditari, aut meditatione definire. Aut definitionem tenere, aut retemptionem proferre, aut probationem firmare. Quum uero nichilorum ¹⁵³, nichil tale, nichil ex toto, nichil ex parte. In hac re puto uel angelos uel homines aliter uel amplius nosce, quam quod ipso didicimus angelo nunciante. Puto nec ipsum angelum aut cognoscere ualuisse, quam quod se intulit hominibus nunciare. In tanto enim misterio ueritatis praeco, nec aliud quam quod ipse sapuit, nec plus quam ipse cognouit, potuit nunciare que tamen nunciauit, et nobis atque cum Virgine audire fecit, et nos quoniam nec aliter nec alibi, nisi in Virgine et cum Virgine hec que conuicimus didicisse. Si ergo illa Virgo que miraculo huic et materna extitit et causa plenis fuit. Hoc solum ab angelo didicit, quod adfectum nunciante rei sufficere potuit, non plus angelus sapuit, quam quod dixit.

Quia tantum dixit quantum conceptionem et partum Virginis adimpleuit. Tantum autem uirgo de conceptum et parturitione sua angelo salutante didicit, quanto me angelus euidencia rei huius instruxit. Si autem [fol. 282 a] plus sapuit angelus quam quod dixit, commodo ad plenitudinem partus sui, sufficit Virgini quod mecum audiuit. Mecum dicito audiuit, qua post hoc nuncium partus sui, et redemptionis meae nouum de hac re nichil audiuit. Si plus sapuit angelus quam quod dixit. Quomodo ad plenitudinem facti rei, non dicta plenius abundauit.

Si plus sapuit quam dixit, quomodo semipleni dicta rem celestium uirtutum, et omnium elementorum adtestatione completum, implere ueracius potuerunt.

Restat ergo tantum me de hoc miraculo nosse, quantum angelus dixit. Quia quantum sapuit, tantum dixit. Et tantum dixit quantum Virginem generare fecit.

151. d ajouté en interligne.

152. persentio, ms.

153. Corr. nichil horum.

Quantum autem Virginem generare fecit, tantum fides mea dum Virgine ipsa cognouit. Itaque si iusta adsumtionem humanitatis hæc inenarrabilis, generatio. Huius prolis idipsum est, quod solius matris eius incorruptio singularis. Bene angelice creationi que laui potuit praefero integritatem genitricis, huiusque nascentis exitum, interrumpi non potuit. Bene angelice conditioni que diminui potuit, praefero pudorem quem exordium genitis, frustrare non potuit. Bene angelorum statu qui quanti [fol. 282 b] potuit, praefero uirginitatem mirabiliter singularem quam natiuitas Filii Dei, tanto aucta gloria incorruptionis reliquid, tanto singularem hac singulariter glorificans adsumtam ex illa carnem et sedi Patris inuexit, et omnem beatitudinis angelice formam eius dominio subiugauit. In cuius excelsae sollempnitatis ascensione, cum Deus adsumptam carnem paterna conlocauit in sede ita naturam ea angelicam repperit pacem. Ita consortium recepit angelicum. Ita honorem se adeptum esse, intelligit angelorum.

Ita abiectioem qua contentibilis erat, angelicorum ¹⁵⁴ prodidit potestatem. Vt hec natura que in Abraam angelum adorauit, et tamen adorare proibita non est Ihoanne adorare uolens sit proibita adorare. Quoniam in Abraam licet ex eius semine in Christo diceretur adsumenda, nondum tamen in eodem Christo erat adsumta. Ideo hanc angeli contentibile iudicabant, quia et condemnatio Conditoris execrabilem hanc abeat, et adsumtio eius, nondum illam sue unioni coniunxerat. In Iohannem autem ideo hanc naturam se adorare angeli proibent, quoniam super se in sedem [fol. 282v° a] maiestatis adorant. Ideo hanc in subditis non contempnunt, quia eam super se in sedem glorię contemplantur. Ideo hanc in subiectis, contentibilem non despiciunt. Quia eam unitam diuine persone cognoscunt. Et ideo honorabiliorem se incorruptionem matris uirginitatis habent, quia fructum eius, super se et admirantes aspiciunt et humiliter intuentur.

Grati laudant, seruietes adorant. Perhennes iubilant, subiecti concelebrant. Beati uident, adclines honorant, nichil puto ratiocinandum lateat, nichil praescrutandum euasit, nichil perquirendum erupit, nichil inuestigandum, nichil incognitum habuit, quia quanto audiuius rem tanto inpleta scimus. Quanto audiuius rei tantum effectum pensamus. Quantum audiuius, tanto hanc generationem fieri cognouimus. Quantum audiuius de angelo, tantum ¹⁵⁵ ad redemptionem nostram uirginali completum esse uidemus ex utero. Verum ut rei huius magnitudine sese super angelos euidenter adtollat. Vt solius matris huius incorruptio, in singulari signo singulariter praedicanda, angelorum excelsa transcendat. Vt incorrupte Virginis sit eius filii [fol. 282v° b] inenarrabilis generatio nobilitatem angelorum exuperet. Postremo ut nichil simile in omni rerum formatione, angelice pulcritudinis magnitudine. Admirante constet. Considera mecum natura rerum contemplare forma creaturarum, intueri conditionis diuerse conditio uniuerse. Et dicente Iohanne *omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nichil* (Jn 1.3). Videte omnia quae fecit. Omnia que uisibilia et inuisibilia esse subsistit. Reuerentiam eius abere seruitutis, et abiectioem subdite tenere conditionis. Nam si de terra et maria atque omnibus que in eis sunt proponantur, audiant cuncta de se ipsum Domini uocem, cum

154. cum corr. en co.

155. tanto corr. en tantum par surcharge.

uiris sui uigorem uniuersa homini conferentem. *Dominari*¹⁵⁶ *piscibus maris et uolatilibus celi, et uniuersis animantibus que mouentur super terram* (Gn 1.28). Si de ipso homine audiat et ipse : *reges terre, seruite Domino in timore, et exaltate ei cum tremore* (Ps 2.11). Qui de celo sunt et que in eis audiant : *laudauerunt te Domine omnes angeli tui, et innum dixerunt dum perficeres fabricam celi. Ite beatus cuius est Deus adiutor spes eius, in eo qui fecit celum et terram, mare et omnia que in eis sunt* (Ps 145.5-6). Si de angelis audiant, quae Paulus memoratur : *cum*¹⁵⁷ *introduceret primogenitum in orbem terrarum sic dicit : Adorent* [fol. 283 a] *eum omnes angeli eius* (He 1.6). Verum ut cuncta quasi sue conditionis conpede generali dicto prestringam audiant uniuersa sub uno. *Magnus es, Domine, et praeclarus, uirtute insuperabilis tibi seruiet omnis creatura tua, quoniam dixisti et facta sunt misisti Spiritum tuum et creata sunt* (Jdt 16.16-17). Si igitur cuncta que facta sunt seruiunt, restat nichil esse factori equale, quia quod non seruiat non est. Si autem est, quod non seruiat nichil est, quia factum non est. Proinde aut erit aliquid et factum et seruiens est, aut erit nichil, quia quod non seruiat factum non est. Si ergo ut uerum est cuncta que facta sunt seruitutis debitum retinet, et eterne potestatem illius, Domini uero non amittunt. Tanto omnia maiestatis eius, cedunt, quanto excellentia prorsus adequari non potuerunt. Atque ideo cum cuncta seruiunt solus incorruptionis huius fructus, in uniuersitate dominantis adsumitur, cum omnia obsequatur. Isti tantum generationi dominator admiscitur, cum uniuersa famulentur huic soli integritati¹⁵⁸ Dominus adunatur, quia ex omnibus¹⁵⁹ creaturis. Hoc tantum in persona fit, cum Domino hunum hoc in unitate Creatoris adsumtum. Hoc in unione dominantis innexum usque adeo, ut adsumens Deus dicatur Filius omnis et ad-[fol. 283 b]-sumtus. Homo dicatur Filius¹⁶⁰ matris non confusis naturarum proprietatibus et de huius¹⁶¹ persone unitate conexas. Ut ex adsumto et adsumente nullum discindat ab alio, nullum dirimatur ab altero¹⁶².

Magnificamus¹⁶³ te dominam Dei genitrix Virgo Maria, de cuius substantia Dei Filius suscipere carnem dignatus est, manens quod fuerat, adsumens quod non erat. Qui cum in forma Dei esset formam serui se uolens indui, non Dei perdens sed humanam accipiens, sicque factus hominis Filius, ut Dei Filius non esse desineret. Ancilla peperit Dominum, rursus filia Patrem generans Virgo concepit, Virgo permanet pariensque mater uocabitur Filium generat lactat et uirgo est. Et nos sincera fide Christi celorum regem te cognoscimus, adoramus, et confitemur¹⁶⁴, et credimus, quia paterno praesidens solio perditum hominem reduxisti ad celos. Regibus longa felicitas pax et uita sit cum leticia, uictoriam que super hostes obtineant. Offensis hic tribuat ueniam, quem ad te Domine

156. Corr. Dominamini.

157. quum corr. en cum par grattage.

158. La présence d'un trou dans le parchemin a contraint le scribe laisser sur deux lignes un vide à l'intérieur des mots ou entre les mots.

159. Grattage d'un i entre om et ni.

160. Un trou dans le parchemin a contraint à réduire la longueur de trois lignes.

161. s écrit en interligne.

162. Longue lacune du lat. 8878 correspondant aux pages 255-263 de l'édition de Valeriano Yarza Urquiola.

163. Début de la petitio (voir Introduction, p. 83).

164. ut confitemur écrit en fin de ligne et taché a été repris au début de la ligne suivante.

gaudentes recipiant. Salua uiduas¹⁶⁵ et orfanos, foue monacos, salua uirgines, utrorumque castitatem¹⁶⁵ adtribue, corpora mentemque corrobora, ut per te celorum hereditent patriam. **Reuerte** cabtios, ad patriam errantes, [fol. 283v° a] **Christe** ad uiam, remea muti linguam, ceci¹⁶⁶ lumen recipiant ut resurgat lapsi ad dexteram, cunctisque stantibus adesto ne corruant. **Tu Deus** in nobis iam respice, et iram tuam Pater remoue ne flagellemur¹⁶⁷, **Christe** tu nos eripe, qui redemisti nos sanguine nec a uerbo malo nos dimittas perire. **Tu peccata mundi iam tollere**, tu uinculatos **Christe** soluere, tu conclusis uenisti ueniam mittere. **Tu** lugentibus praebe gaudium sana languidos tristes consolare.

Gloria Patri iam personet, gloria **Christo** et **Paraclito**, cuius laus uirtus atque imperium, etiam ab angelis canitur, nunc et per omnia saecula saeculorum amen. In tanto etenim misterio ueritatis praeco, necaluit quam ipse sapuit, nec plus quam ipse idem operator adsumti opus ueritas. **Idem** qui fecit et quod fecerat. **Idem** qui fecerat et quod fecit. **Ipse** adsumptor, ipse adsumtus. Et ut expressius quod ipse dat de ipso loquar, ipse omnipotens pro me autem et pro salute mea. **Ipse** exinatitus, ipse fortis, ipse infirmus, ipse salus mea, ipse uulneratus pro me, ipse sanitas mea, ipse pro me uulnere¹⁶⁵ cesus. **Ipse** uirtus Dei, ipse pro me humilis Deus, ipse uiuens, ipse mortuus. **Ipse** uita mortis nescia. **Ipse** uita, mortem sustinens et deuincens. **Ipse** ante [fol. 283v° b] mortem, mori nescius, ipse post mortem, sine dominio mortis. **Ipse** de cęlo ueniens, ipse sepulcrum adgrediens, ipse sepulcrum relinquens, ipse celos repetens. **Ipse** ad inferna in anima humana descendens, ipse de inferno potestate diuina sanctorum a[ni]mas¹⁶⁸ liberans. **Ipse** in sepulcro iacens ut homo, ipse de sepulcro surgens per Deum. **Ipse** de morte liberans, ipse inter mortuos liber. Et hæc omnia idem **Christus**. **A** quo omnia in uno eodemque **Christo**. **Pro** unione persone, non pro confusione nature. **Ideo** ergo confidens, per mortem huius Filii Dei. **Sperans** pro uulnera huius factoris mei fiduciam habens per crucem huius Redemptoris mei. **Spem** ueram tenens, per sanguinem huius Ihesu mei. **Quia** tectis peccatis meis, quia remissis¹⁶⁹ iniquitatibus meis, quia ablutis¹⁷⁰ sceleribus meis, quia oblitus criminibus meis, quia abstersis inmundiciis meis, quia solutis peccatorum meorum uinculis, mundatus a bono Domino purificatus a misericordi Deo iustificatus a pio iudice. **Sanctificatus** a copioso Redemptore, miscar beatis angelis. **Socier** coris angelicis¹⁷¹, copuler angelorum gaudiis¹⁷¹.

Iungar festa angelicis, ut sit Deo in me gloria, ut sit Deo a me laus, ut sit Deo a me honor, ut mihi sit a Deo uenia, ut michi sit a Deo salus, ut michi sit a Deo uita, et mihi [fol. 284 a] sit a Deo exsultatio. **Iugiter**, ueraciter, indesinenter et euidenter. **Ammodo**, ex nunc, ex hoc, abhinc, et in omne tempus et in totum euum et in cuncta semper saecula saeculorum. Amen¹⁷².

165. Une déchirure dans le parchemin a contraint à couper le mot en deux.

166. Un trou dans le parchemin a contraint à reculer le début de deux lignes.

167. flagellelnur, ms.

168. Le mot amas ne présente pas de signe d'abrévation.

169. in gratté en fin de ligne.

170. Lire ablatis.

171. Un trou du parchemin sépare le mot en deux.

172. Amen étiré sur la moitié de la ligne.